ITERATÆ VINDICIÆ,

IVRIS CORONANDI

REGES ROMANORVM

Pro

Archidiœceſi Colonienſi.



BONNÆ,

Typis HENRICI IANSENII,

Sereniſſ: Princip. Elect. Colon. Typographi Iurati. Anno 1656.

ITERATÆ VINDICIÆ
IVRIS CORONANDI
REGES ROMANORVM
Pro
Archidiœcesi Coloniensi.

I.



Nnus est,& ampliùs, quando Serenissimus Elector Coloniensis Jus coronandi Reges Romanorum Archidiœcesi & Suæ Serenissimæ Celsitudini multis titulis debitum, per Moguntinos verò nequicquam turbatum, Sacræ Cæsareæ Majestati altera jam tum vice vindicandum, scripto obtulit; quod mox typis vulgatum publici juris factum est. Erat id vernaculi idiomatis, rationibus idoneis magnisque testibus non sine solerti Auctoris studio instructum; sed breve, placidum, & sine felle; quale dicendi genus meliorem ferè causam comitari & commendare consuevit.

2. Huic non ita pridem Advocatus Moguntinus responsum latino stylo opposuit, præloque subiectum in manibus similiter omnium esse voluit; prodit se in illo diligentia minimè vulgaris,

sed anceps & anxia, vtpote periculoso vadimonio & ruinosæ causæ patrocinatura: argumenta adferuntur maiori sonitu, quam pondere, quæque à promptitudine calami colorem, non succum trahant; dictio acris, & inspersis hinc inde acerbioribus vellicationibus aspera. Iussi sumus scriptum hoc examinare, atque ad exactiorem totius controversiæ, eorúq; quæ à Moguntino tantis animis jactantur, discussionem, mentem calamumque adjicere; quod faciemus non tam continuo, confusoque dicendi filo, ad fucum obtrudendum magis semper versatili, quam breviusculis quæsitis, quibus veritas accuratiùs eruta, clarius distinctiùsque animis legentium influere solet.

3. Vnum protestamur, Lectoremque monitum cupimus, nequaquam consilii nostri esse, Ius Coloniensis Ecclesiæ ex antiquorum Historicorum invicem dissidentium, raròque eadem scribentium libris eruere, astruereque: nisi quantum ad Advocati Moguntini, Lectorisque instructionem subinde expediens videbitur, satis superque id in pragmatica totius Imperii lege, Bulla aurea, sanctum stabilitumque Nobis est. Viderique indignum merito potest, soliùs inter omnes, Coloniensis Electoris regalem prærogativam, eodem quo reliquorum Electorum robore munitam, eidem fundamentali legi insertam, in disceptationem vocari, vix etiam ab aliorum cavillis & mordaci calamo securam; Eo igitur fine antiquorum monimenta lustranda suscepimus, vt si quæ scin-

ulla

tilla lucis inde excuti posſit, et amicus Lector animoſi Advocati iactantiam, à modeſta ſimplicique veritate diſcernere valeat. Totum Colonienſ. ſcriptoris propoſitum Moguntinus Advocatus quinque veluti theſibus non infeliciter complexus eſt. aſſerunt, inquit, Colonienſes

4. Primò à Carolo Magno hoc privilegio (Coronandi Reges Romanorum) Vrbem Aquiſgranenſem & Colonienſem Archidiœceſim ornatam eſſe.

5. Secundò fuiſſe hoc Ius Colonienſi Archi-Epiſcopo bullis variorum Pontificum & Imperatorum reſcriptis aſſertum, intra nempè & extra Diœceſim.

6. Tertiò, à Colonienſibus Archiepiſcopis & ante, & poſt auream Bullam, ſemper fuiſſe vſque ad Maximilianum Secundum exercitum, neque à Moguntinis, niſi raro, & ipſis conſentientibus vſurpatum.

7. Quartò confirmatum publica ſanctione à Carolo quarto, ſine vllo Diœceſis Colonienſis intuitu, nullaque addita limitatione.

8. Quintò denique functiones à Moguntinis Electoribus in Coronatione poſtremorum Imperatorum exercitas, veteri Electorum Colonienſium juri minimè obeſſe.

9. Sic ille *p.* 3. *&* 4. ex Colonienſium ſcripto ſtatum quæſtionis format; neque tricari lubet, lectori in ipſo limine tædium moramq; iniiciendo.

Quæ-

Quæstio ergo prima.

Vtrum existat aliquod privilegium locale à Carolo Magno Vrbi Aquisgranensi, præ omnibus aliis Vrbibus collatum de Regibus Romanorum in illa coronandis.

10. Respondeo supervacanea planè videri poterat hæc quæstio, adeo omnium consensu irrefragabilis, omnium ore decantata, imò oculis exposita & vsurpata, jam ab octingentis annis fuit hæc Vrbis Aquensis præeminentia.

11. Solus Advocatus Moguntinus *pag.* 4. *&* 5. veluti turbulentus Tribunus Orbis Christiani concordi sensui intercedit, novoque ausu fontem privilegii turbans, pragmaticam Magni Caroli, cui illud insertum, in dubium vocare nititur: Cui pragmaticæ defendendæ, quæ totius coronariæ antiquitatis basis est, liceat nobis bona Lectoris venia, paulò morosiorem operam impendere. pragmaticam ipsam reperies *Petri à Beck* historiæ annexam.

Summa quæ nos concernit, hæc est, Carolum Magnum, præsente & annuente Leone III. Pontifice, ac proceribus vtriusq; Ordinis consentientibus id obtinuisse anno 804. vt in Basilica Beatissimæ Virginis Aquisgrani à se magnificè exstructa, sedes Regia (coronationis) locaretur, & locus regalis & Caput Ecclesiæ trans alpes haberetur, ac in ipsa sede Reges (Romanorum) & successores Regni initiarentur.

Privilegiū locale Vrbis Aquisgranensis stabilitur.

12. Hæc pragmatica & Constitutio Carolina

sudes

ſudes eſt in oculis Advocati Moguntini, cui antiquitatis, imò veritatis laudem detractam, eamque triplici & maligno obelo diſpunctã proſcriptam. queapud omnes evileſcere vnicè exoptat; id allaborans maximè, qua arte Caroli Magni auctoritatem ſuis commentis admodum noxiam ab hac tota coronationis controverſia quàm longiſsimè removere poſsit.

13. Primò enim ait, *omnem illam narrationem de Coronationis loco in Vrbe Aquenſi non alia fide niti, quàm ipſorum Aquenſium vetus quoddam prætenſum privilegium Caroli Magni in illam rem venditantium*: optandum autem erat, vt omiſſo hoc ſcommate, in veſtibulo operis ſui, de reliquo, meliorem lectori coniecturam moris ſui reliquiſſet.

14. Enimverò, octo nunc ſæcula ſunt & quod excurrit, ex quo illius pragmaticæ obſervantia de loco coronationis, à Cæſaribus ſanctè culta, raro, & non ſine magna ratione intermiſſa, ſubinde etiam armis & ferro vindicata eſt. Ex ea Principes Electores Germaniæ locum Coronationis ſibi aſsignatum, conſtanti hactenus & inviolabili ferè cuſtodia comprobarunt, prout in coronatione Ottonis quarti ad Innocentium tertium Pontificem ipſi apud Reinaldum perſcribunt. *Ad Romani Regni faſtigium juſtè & rationabiliter illum elegimus, & ſicut debuimus in ipſius electionem conſenſimus ipſumque in auguſta Sede à Carolo Magno apud Aquiſgranum huic dignitati deputata locavimus.* ita illi.

Ex

Ex eadem summi subindè Pontifices, Regibus de Imperio dimicantibus jus dixerunt, vti in Philippo & Ottone, Richardo, & Alphonso apud Rinaldum apparet. Illi denique totius Imperii, imò Europæ vnanimis consensus, integritatis & antiquitatis venerationem conciliat; Neque facilè vetustius documentum reperies, ad Imperij dignitatem in natione Germanica fundandam, aliaque Imperii & Aquensium privilegia stabilienda eidem diplomati inserta, atque etiam nunc in vsu posita: Attamen his omnibus contemptim habitis, non veretur Advocatus tantis testibus convitium inferre, fidemq; sæpèdicti privilegii non aliunde quàm ex Aquensium vetustas suas merces venditantium foro allegare.

15. Secunda nota, quam imprimit, est in verbis sequentibus, p. 5. *Quòd si verò quispiam, qui in expendendis monumentis antiquis exactiori vtitur judicio, totum illud Caroli Magni privilegium, ex quo in scripto Coloniensi nonnulla adducuntur, in dubium vocare vellet, poterat vtique in medium adferre argumenta, quibus sententiam suam probaret.* At quis credat Advocatum adeo oculatum vincendique cupidum, plura in rem suã adferre posse quàm faciat? procul est ab eorum ingenio, qui cum nocere possint, nocere non velint. De antiquis monimentis poterant illi sufficere quæ tangit, duorum Imperatorum illustria æque ac vetusta Friderici primi & secundi testimonia, quorum tabulas, quibus Caroli Magni privilegium insertum

ſertum eſt, aureis bullis circa annos 1166. & 1244. munitas, atque ab omnibus Cæſaribus ſubſequentibus agnitas probataſque videre licet etiamnum hodie in tabulario Aquiſgranenſium, ab ipſo Vice Cancellario Moguntino ſubſcriptas. Dicere verò Friderico primo ſagaciſsimo Imperatori, qui tum Aquis præſens erat, aliiſque proceribus fucum factum, offuciaſque obtruſas, id ſanè, qui frontem omninò non exuit, haud leve piaculum fatebitur; Extremæque inſolentiæ eſt diploma Carolinum, quod hodie etiamnum extat, à pluribus Cæſaribus ſubſcriptum, quod oculis vſurpatur, manibus palpatur, vnius alteriuſque audacia inter vmbras & fabulas numerari: meminiſſe oportebat Advocatum, quanta apud omnes prudentes ſemper fuerit vis antiquæ ſcripturæ; quæ dum privilegium narrat, etiam alienum, inducit probationem, ſi excedat memoriam hominum. Alexand. 1. Conſ. 6. *n.* 6. & plenè probat, etiam quoad tertium propter antiquitatem. *Butr. in cap. Cum dilectus, de Succeſſ. ab Inteſtato*, proinde ſi temerè affirmare, ſi audacter negare, viciſſe eſt, hanc de pragmatica Carolina controverſiam Advocatus eviciſſe videri poteſt.

16. Tertia nota, qua pragmaticam Carolinam denigratam cupit Advocatus, eſt in ſequentibus verbis. *Ipſe quidem Petrus à Beck cuius auctoritati tantum videtur tribuere Patronus cauſæ Colonienſis, fatetur c. 1. à multis Carolinam conſtitutionem vocari in dubium.* Hunc *Petrum à Beck*, ſicut & alios pleroſq; Hiſtoricos, pro ludicro & libitu inſtar penulæ via-

 toriæ

toriæ tractat Advocatus, quando prosunt arripit, & & circumdat, quando obsunt, abiicit & calcat. Cæterum fuit *Petrus à Beck* ordine & Prælatura Ecclesiastica venerandus, Archivij Aquensis & veterum monumentorum apprimè gnarus, vt nec de fide illius, nec rerum notitia dubitari debeat; quæ duæ dotes ad commendationem Historici plurimùm semper valuerunt; videamus quam rectè illum sibi Advocatus accommodet. *verba Petri à Beck lib.* 1. *c.* 1. sunt. *Quæ quidem narratio (de Grano Neronis fratre) prout fidem veritas ævo Carolino obtinuit, ita inserta est privilegiario diplomati Sacræ ædi & Vrbi Aquisgranensi à Magno Carolo concesso. Cui vti potiùs mythologicæ, tametsi plerique derogent, quod probatiorum auctorum ex antiquis Chronographicis nemo memoriæ prodiderit, fratrem Germanum Neroni obtigisse Grani nomine, tamen prima fronte ac facie re minus accurato libramine expēsa, concutere labefactareq; sanctionem Carolinam, tanta annorum lapsorum custodia retentam, à tot Divis Imperatoribus pro vera æstimatam citra temeritatis notam non ausim.* Idem Petrus a Beck eodem c. 1. pag. 14. de eadem pragmatica loquitur sequenti modo. *Ad extremum cuncti Cæsares succedanei, primus præsertim Fridericus, ac eum consequentes, hoc Caroli diploma pro verò & Germano agnoscunt*: sic ille. Vereor ne erubescat hic Advocatus: vbinam illi, quos *Petrus à Beck* de pragmatica Carolina dubitare fatetur? audiat potiùs omnibus de eâ dubitantibus, ipsique imprimis Advocato inflictam ab eodem auctore iustam temeritatis sententiam. An ne idem vnam aliquam

indiffe-

indifferentem narratiunculam, quæ rem controversam ne quidem eminus tangat, suspectam habere, ac de tota constitutione dubitare? quam tot Cæsares pro vera, germanaque agnoscunt.

17. Addit quartò Advocatus Bolandum Iesuitam multa in illo diplomate Carolino mirari; non inficior nos quoque non pauca mirari, imprimisque illud, Basilicam & Vrbem Aquensem præ tot aliis Ecclesiis, & Vrbibus, præque ipsa Moguntina, in tantum regalis vnctionis fastigium exaltatam; hinc enim Nobis tota controversia oritur; atque hasce vindicias contra paucorum dicaces cavillos, primævæ Carolinæ constitutioni meritò impendimus; quam omnes illi tueantur necesse est, qui regalem in Vrbe Aquensi ab eodem Carolo locatam sedem, pluresque & amplas prærogativas in eâ contentas, de quibus nullum aliud documentum exstare scimus, agnoscunt. Tales sunt *Regin. in Carol. Cæs. Nithard. lib. 4. Otto Frising. lib. 5. c. 31. Viterbiẽs. in Carolo, Beat. Rhen. Bertius, Ligurinus, Beck & recentissimus Noppius,* pluresque alii.

Primò. Observet porrò lector, ex prima fronte & occursu ingenium Advocati, scriptores lubricè & opportunè sibi magis, quàm exactè citantis, vt leniter loquar, eritque huius observationis imposterum frequens vsus.

Secundò. Constitutionem Carolinam contra Imperii totius observantiam & Orbis judicium in dubium vocantis, quid enim non audebit? atque hæc de primæ thesis priori parte.

Quæstio secunda, circa primæ thesis posteriorem partem.

18. Vtrum prærogativa coronandi Reges Romanorum ab ipso conditore Imperij Carolo Magno, fuerit vnquam Archiepiscopo Colon. collata.

19. Advocatus contra torrentem testium pro causa Coloniensi loquentium non satis validus, concedit Archiepiscopis eisdem functionem coronandi, sed ex jure Diœcesano petitam, à Lupoldo Moguntino circa annum 1054. Hermanno Coloniensi concessam, & Diœcesi commensuratam. Verum de jure Diœcesano Nobis modo non est quæstio, erit forte suo loco, id in præsens petitur, vtrum ab ipsa constitutione Caroli, munus illud competat Coloniensibus, adeóque non sit Diœcesani, sed Regalis & Imperialis juris.

Privilegiũ personale Coloniensiũ Archiepiscoporum.

20. Advocatus Mogunt. notat, hoc concesso, duplici se, eoq; gravi in commodo vrgeri. Erit enim ei arduum, honorẽ & munus coronationis ab ipso conditore Imperij, specialiter Coloniensibus attributum intra terminos vnius Diœcesis coarctare. *Secundò*, plurimum deperdet de primatus sui tantopere jactati dominatu; quem Coloniensis regali privilegio munitus in eiusdem privilegii vsu, agnoscere non volet.

21. *Respond.* Ita omninò sentiendum, dicendúmque est, à Caroli Magni institutione, Hildeboldo Archiepiscopo primum facta, ab eoque ad successores deinceps delata, munus coronandi Reges Romanorum Archidiœcesi Coloniensi & Archiepiscopis illius provenire. Id tota rei gestæ

series

ſeries,id Caroli Magni novum Imperiũ molientis regalis & gubernatiua prudentia, id Hildeboldi omnibus ea ætate præcellens virtus & dignitas, id Imperij in natione Germanica ſtabiliendi ratio & ſecuritas requirebat. Carolus enim devicta pacataque vt plurimum Germania, cum Coronam Italiæ Modoetiæ in Lombardia, Galliæ Remis aut Noviomi, Imperii occidentis Romæ à Leone tertio ſuſcepiſſet, reverſus in Germaniam, nihil illa cura habuit antiquius, quam dignitatem Imperialem aliquo indiſſolubili vinculo, & quaſi trabali clavo Nationi Germanicæ affigere. huc maximè ſpectabat. novis legibus, ſacriſque & Palatinis miniſteriis novum regnum ordinare & temperare, ac imprimis ſedem, eique affixum munus regalis coronationis in fundo & natione imperij Germanici ſtabilire. Ea de cauſa vel invitatum ad ſe, vel ſponte Mantua ex Italia accedentem Leonem tertium Pontificem Aquiſgrani, occaſione Baſilicæ à ſe recens ſtructæ conſecrandæ, ſplendiſſimo apparatu excipit, moxque communicato conſilio, ab ipſo imprimis Pontifice, præſentibuſque quam plurimis Epiſcopis proceribuſque, id precibus obtinet, vt ſedes Regalis coronationis in Baſilica & Vrbe Aquenſi per conſtitutionem perpetuis temporibus valituram locata, firmataque maneret. In quem ſenſum loquitur P. Æmilius in Chronico ſuo, potiorem cauſam licet tum diſſimulatam, cur Leo ad Carolum acceſſerit, fuiſſe illam, quæ ad Imperium gentium ſpectabat. Eoq; ſemel, excon-

 ſenſu

ſenſu Leonis, Epiſcoporumque & Procerum conſtituto, munus eiuſdem coronationis peragendæ, Hildeboldo Baſilicæ illius & ſedis Archiantiſtiti, tacita quidem, ſed per omnes Eccleſias receptiſsima lege, collatum cenſeretur. Noverat ſcientiſsimus obſervantiarum Eccleſiaſticarum æque ac amantiſſimus Imperator (vt de eo teſtatur Eginard. aliiq; ſcriptores) dignitatem Eccleſiis conceſſam, ſimultaneo planè jure ad Antiſtites eorum pertinere, idque tum maximè obtinere, quando perpetuo ac in ſucceſſoribus perennaturo honore Epiſcopi decorandi ſunt; Hacque inſigni prudentia ad declinandam ſplendidiſſimi muneris invidiam inter trecentos & ampliùs Epiſcopos vſus eſt, cum nemo contradicere ei poſſet, quod cerneret ex more ac lege Eccleſiaſtica fieri; haberque hoc in foro Eccleſiaſtico non tam concluſionis, quam indubitati principii certitudinem: totum enim jus & omnes partes juris, quod confertur Eccleſiis, ſpectat ad Epiſcopum, vt loquitur *Barbos: lib. c. 11. de officio & poteſtate Epiſcop.* Cum Epiſcopus ſit caput, ſponſus, tutor, & adminiſtrator, imò ſub Chriſto Princeps & Dominus Eccleſiæ ſuæ, habens inconcuſſam bonorum, honorumque omnium communicationem & adminiſtrationem. Et eius quidem moris, præter plurima alia, habemus domeſticum exemplum in Parente & Patruo Caroli Magni, Pipino & Carolomanno; Hi enim Francorum Principes cum vellent ſanctum ſuum Bonifacium Epiſcopum Moguntinum

num

num Metropolitæ dignitate honorare, ſtatuerunt Eccleſiam Moguntinam, quæ tum alteri erat ſubjecta (omiſſo ipſius Bonifacii quidem in præſens nomine) in Germaniæ Metropolim evehere, quo facto, ipſum Bonifacium ex Epiſcopo, Archi-Epiſcopum habebant, vti eſt apud *Serar.* fieri enim nequaquam poteſt, quin, ſi Eccleſia & ſedes ad altiorem aliquam præeminentiam exaltetur, is qui in ſede ſedet, Eccleſiæque præſidet, ad eundem dignitatis gradum & munus ſublevetur. Notãda quoque verba (ac in ipſa ſede Reges ſucceſſores Regni initiarentur, ea namque vox Eccleſiaſtici vſus eſt, ſacram quampiam & Epiſcopo convenientem actionem denotans.

22. Habet proindè hic Advocatus Moguntinus ſplendidiſſimum & Imperiali luce coruſcantem ortum Colonienſis prærogativæ, glorioſiſsimo Parente Carolo Magno, qui propenſo in Baſilicam Aquenſem, ſimul & Archiepiſcopum eius Hildeboldum ſtudio, Eccleſiam quidem in regalis coronationis ſedem, Antiſtitem verò in eiuſdem muneris regalem Miniſtrum evexit, eamque in ortu primo gratiam, apud ſucceſſores deinceps legẽ perpetuam ſua inſtitutione effecit; idq; non diœceſano ſed regali jure & poteſtate. Quis enim dicat ex jure Diœceſano debitum id fuiſſe Baſilicæ Aquenſi, vt fieret ſedes Regalis vnctionis? aut quis loci novam præeminentiam à perſona Hildeboldi ſeparet, in ortu ſuo tam Caroli inſtitutione, quàm more jureque Eccleſiarum coniunctiſſimam.

Hildeboldo, dignitas Coronandi debebatur.

22. Hoc-

23. Hocque demum est, munus coronandi Reges ossibus & medullis Archiepiscoporum Coloniensium inhærere, quod videlicet ab incunabulis, & cum lacte haustum, acceptum jure, veluti hæreditariam gemmam sine locorum temporumque discrimine circumferunt.

24. Et sanè cui debebatur potiùs, sub illa Imperii initia, splendidissimi honoris decus, quam ipsi Hildeboldo, dignitate, sapientia, gratia Imperatoris, rebusque amplissimis gestis, omnes omninò in toto Imperio præcellenti. Erat in Aula Caroli Archicapellanus, Archicancellarius, Archiepiscopus Coloniensis; item sacri Palatii Archiepiscopus: vt postea videbitur. fuerat à Carolo Leoni Pontifici, à Ludouico filio Stephano Pontifici obviam missus, in eaque legatione omnibus Germaniæ, Galliæque Metropolitis Prælatus subscripsit testamento Caroli, primo post ipsum loco ante Moguntinum, vt videre licet apud *Baron an.* 811. *n.*47 ex ipso autographo Romam misso & quamvis Serar. in vita *Riculph.* huic primum locum asserat, insinuat tamen quod nos dicimus, præsedit in Vrbe Moguntina nationali concilio, ante ipsum Riculphum Moguntinum, quod proprium est primatis. de quo vide *Sirmund.* circa annum 813. atque adeo in publicis actionibus vbique Moguntino præpositus.

Liceat mihi hic Advocatum sui memorem reddere, si enim coronandi munus, dignitati Archicancellariatus annexum volunt, §. 11. in scripto

ger-

germanico Moguntini, si idem primatui prætenso debitum; §. 19. & toto ferè scripto latino, inque ijs duobus solidam firmamque sui prætensi coronarij muneris rationem positam existimant, profectò eo ipsos jure vti nunc æquum est, quod sibi & nobis statuerunt, atque adeò primam coronandi prærogativam Hildeboldo nobiscum deferre, quem omnibus illis præminentiis præ ipso Moguntino Caroli Magni tempore floruisse ostensum est, & mox prolixius monstrabitur; Archiepiscopi quidem Moguntini, illa ætate, vel nulla vel exigua in publicis negotiis memoria comperta; quamvis Riculphus Moguntinus Hildeboldi coævus, Carolo non ingratus fuisse legatur. atque sic Colonienses satis superque primum titulum sui muneris declararunt. Observet autem Lector 1. errorem, sed spontaneum esse Advocati, quando *p.* 1. *&* 2. ait Colonienses in suam rem nihil adferre aliud, quam jus Diœcesanum. Caroli enim institutionem abundè probarunt. graviùs in eadem re à linea deviat, quando *p.* 22. persuadere conatur, nulla fide probari posse privilegium Hildeboldi à Carolo concessum.

25. Observet 2. similem errorem Advocati contendentis Archiepiscopos Moguntinos olim in ipsa Vrbe Aquensi proprio jure coronasse Reges; commentum est; privilegium coronandi non Riculpho Moguntino datum est, sed Hildeboldo, is Metropolita, is Archicancellarius erat, & officio primatis tempore Caroli fungebatur, vti supra visum, sin aliter, doceat Advocatus. *Errores Moguntini Advocati.*

Observet 3. temerariam esse & injuriæ affinem ignorantiam, quando *pag.* 26. affirmat, Coloniam, tum, id est tempore Caroli nondum fuisse Metropolis dignitate ornatam, sed adhuc subfuisse Moguntino. revolvat recentem, sed nobilem scriptor. *Ægidium Bucherium in Belgio Romano p.* 153. *vbi citat Rupertum Tuitiensem*, asserentem Coloniam tempore Crescentis, qui putatur fuisse discipulus Apostoli Pauli, primatum Metropolis obtinuisse. alii Maternum secundùm circa annum 300. primum Archiepiscopum Coloniensem referunt. id non prætereundum, in Concilio Sardicensi circa annum 340. sub Euphrata Episcopo, Coloniam à S. Athanasio Metropolim appellari: & en egregium specimen, vt loquitur Advocatus *pag.* 40. quo ipse in historia Ecclesiastica se versatum ostendit.

26. Adverte 5. eadem vertigine circumagi, quando *p.* 49. admirabundus exclamat; Quis enim vnquam sacri Imperii Protocancellariũ vocavit (Archiepiscopum Coloniensem) quis hoc fecerit, audivit jam supra & audiet mox copiosius; hoc notet Lector, qui hic vocatur Proto- sive primus Cancellarius, apud *Serar.* vocari Archicancellarium.

27. Veniendum nunc ad Thesim secundam, quæ sic habet.

Ius coronãdi Coloniẽsibus asseritur Pontificum & Imperatorũ Respõsis.

Affirmant Colonienses, jus coronandi Reges Romanorum fuisse Archiepiscopo Coloniensi bullis variorum Pontificum & Imperatorum rescriptis assertum.

Respond. Ita omninò asserunt Colonienses, idque

que & intra & extra Diœcesim. de hoc enim impòsterum potissimum agetur. Eam in rem adducunt Bullas literasque Innocentii tertii Pontificis; auctoritatem item *Vrbani quarti, Clem. 4. & Gregorii X. ab Odorico Rinaldo in continuatione Historiæ Ecclesiasticæ citatas.* Erantque ea fide & sinceritate illa Pontificum testimonia à scriptore Coloniensi tractata, vt res tota cōfecta meritò videri potuerit.

28. Advocatus verò cum litteras ipsas & verba earum inficiari non possit, rebus subiectis tenebras offundere nititur, ad quas dissipandas, id vnum te rogo.

29. Certabatur de Imperio, inter Ottonem Saxoniæ & Philippum Sueviæ Duces; Otto ab Adolpho Coloniensi Aquisgrani susceperat diadema. Philippus ab Episcopo Tarantasiensi Moguntiæ, absens enim erat Conradus Moguntinus. In illa controversia, quam vterque Candidatus apud Innocentium tertium instituerat, solicitus Innocentius scribit ad varios Principes Imperii sequentia. 1. Ottonem ab Adolpho Coloniensi Aquisgrani coronatum, nempè vbi debuit, & à quo debuit, 2. Philippum nec vbi debuit, nec à quo debuit, nempè Moguntiæ à Tarantasiensi. 3. claris verbis significat, ad Coloniensem Archiepiscopum ex officio spectare coronationem Regum Romanorum. 4. dici, id ipsum ad illum de jure pertinere. vbi nota, dici, vtique non tam à vulgo hominum, qui aures Pontificis non penetrant, verum ab Regibus, Cardinalibus, Principibus, inter quos iam

 tum

tum ea famà de Coloniensis jure erat. 5. addit, solummodò ad Colonienses pertinere Reges coronare, idque ex antiqua Coloniensis Ecclesiæ dignitate. 6. dubium non esse coronationem Regum Alemanniæ ad Archiepiscopum Coloniensem spectare. 7. scribit ad ipsum Coloniensem in sequentia verba: *Ex vno eodemque negotio Coronationis, te Nobis, & nos tibi credimus obligatos, cum Apostolica Sedes illum debeat coronare* (vltimo scilicet diademate Imperiali) *qui ritè prius à Coloniensi fuerit coronatus*: his formulis loquendi vtitur Innocentius vt mentem suam in illa cõtroversia explicet: nunc vnum te rogo, Lector, sive verborum perspicuitatem, sive sententiæ auctoritatem consideres, quidnam hisce addi pro causa Colon. posse existimes?

Quid si sacra Cæsarea Maiestas Ferdinandus tertius, corã quo hodie controversia illa disceptatur, iis verbis sententiam conceptam ferret, nempè, *Ex officio, & de jure, solummodo ad Coloniensem ArchiEpiscopum spectat coronare Reges Romanorum*; nunquid satis clarè, aperteque pro causa nostra pronunciasse videri posset? vt nemini prudenti dubiũ reliquum sit, quin ex illa Cæsaris sententia, Archiepiscopo Coloniensi prærogativa coronandi in toto Imperio deberetur. vbicunque enim coronatio instituetur, sive Aquisgrani, sive Norimbergæ, illius erit eam peragere, ad quem solum de jure & ex officio spectat. habet ergo Ecclesia Coloniensis à quadringentis & amplius annis causam suam Pontificio oraculo in verbis præcedentibus præ-

judica-

judicatam; neque dissimulandum est, non obiter & perfunctoriè, sed post longam & molestissimam causæ cognitionem Innocentium tertium in eam mentem & sensum suum sic explicatum descendisse; qui insuper inter cæteras rationes Philippi repudiati, hanc primo loco attulit; *Non ab eo à quo debuit, illum coronatum esse. Reinald. anno* 1200. *nu.*23. quamvis id Advocatus perperam negare videatur *p.*8.*n.*8. licet etiam Adolphus Coloniensis Philippo reconciliatus, eundem Aquisgrani iteratò coronaverit, ideoque Innocentium offenderit, jus tamen suum eo ipso facto non leviter corroboravit, quem Innocentius ab eo tempore dedignatus, cū ob Philippum coronatum, pœna dignum judicaret, maluit Episcopatu deiicere, quàm jure coronandi ipsum, & in ipso Ecclesiam Coloniensem privare; quamvis ea pœna convenientior videri poterat vt in quo peccasset, in eo plecteretur.

30. Incidit fortassis Lectori hic cogitatio, quid tandem Advocatus ad hæc? legimus & relegimus quidquid *à p.*6. *vsque* 16. circa hanc materiam comminiscitur, nec quippiam reperimus, nisi offucias quasdam, & in desperata causa inanes curas. *Primò* enim animum Lectoris prolixa variarum rerum, quæ ad rem nil faciunt, narratione, à puncto controversiæ avocare nititur; mox in Innocentium Pontificem graviter invectus, in eo aversiorem à Philippo animum, memoriamque iniuriarum illo fine criminatur, vt dicta illius, ex metu odioq; Philippi potiùs, quam affectu sinceriore promanasse

videantur. Quas calumnias Innocent. apud Reinaldum refutans, dignum omninò responsum rependit, quod malo Advocatus ipse anno 1200. §. 23. legat, quam à me audiat.

3. Tandem vltimum arietem admotutus, omnique alio præsidio destitutus futilem, commentitiamque distinctiunculam profert, nempè Innocentium non vniversaliter locutum, sed secundùm consuetudinem illius temporis, ex qua Archiepiscopus Coloniensis post cessionem Lupoldi Moguntini, Hermanno Colon. in coronatione Henrici 4. factam, solitus sit Aquisgrani & in sua Dioecesi coronare Reges, in reliquo Imperio iure coronationis, Archiepiscopis Mogunt. salvo semper & imperturbato: hæc est subtilitas Advocati, potiùs versutia, fundamenta causæ Coloniensis subrutura. scilicet? hoc ingenii sui jucundum sibi somniũ sæpissimè, etiam ad ipsam Bullam Auream Lectori ingerit & oggerit: liceat mihi hic verbis ipsius vti *pag.* 27. Quid verò hoc rei est, rem seriam, imò magnam tam lubricis testimoniis, imò nullis astruere? quo enim auctore, qua lege, huic suo commento, fidem faciet? nunquid erubescimus sine lege, sine auctoritate in tanti momenti causa loqui? Nobis vtique permissum est communi privilegio vti, vt non plus credatur Advocato, quàm probatur. Vnum nunc ab eo postulo. Vt verbis Innocentii tertii, quæ sparsim collecta, sunt sequentia: *Ex officio, & de jure, solummodo ad Archiepiscopum Coloniensem spectat coronare Reges Romanorum*; suam distinctionem

Frivola distinctio Advocati.

nem applicet; distinguo, ait! Ad Coloniensem Archiepiscopum de consuetudine & indulgentia Moguntini, spectat coronationis munus intra suã Diœcesim; Moguntini autem est in toto reliquo vastissimo Imperio eodem persungi: sic enim illum oportet Põtificis verba applicare, si suæ distinctionis fructum habere cupiat. Quis verò non videt imposturæ, fallacisque elenchi, & dolosæ restrictionis meritò damnari tantum Pontificem, si verbis suis clarissimis, amplissimis, nec vllo modo limitatis mutilam illam pro Coloniensi, arctatamq; ad vnum exilem Imperii angulum sententiam subesse velit? si autem absurdissimum est, tanto Pontifici partibus jus dicenti, eiusmodi salebrosam vafritiem affingere, nemo diffitebitur hoc absurdum non nisi ex absurda Advocati distinctione sequi. Cum tamen communis sensus sit Iurisperitorum, leges & maximè responsa Principum ita intelligẽda & interpretanda, vt nullum ex eis absurdum consectaneum appareat. *Bart in l. cum pater. §. dulcis. ff de leg. 2. vide Azor. tom. 1. lib. 5. c. 15.* Post Bullam Innocentii, scriptor Coloniensis adduxerat auctoritatem Vrbani 4. Clem. 4. Pontificum, Archiepisc. Coloniensi similiter jus coronandi asserentium, idque suo magis iudicio, quàm verbis suis, quamvis & verbis suis. Cum enim istorum Pontificum ætate, Richardus Angliæ, & Alfonsus Castellæ, Reges, simile planè de Imperio certamẽ suscepissent, Vrb. & Clem. ex re iam sub Innocentio iudicata, verba quædam eiusdem Innocentii suis literis ad

Bulla variorum Pontificum.

Alfonsum scriptis inseruerunt, eum à proposito suo dehortantes, vtpote, qui ab Richardo, quem Coloniensis coronaverat, præventus esset. hic nescio, cuius oscitantiæ, malæque fidei scriptorem Coloniensem insimulat Advocatus, quod verba Innocentii, Clementi & Vrbano attribuat. Cum bona pace incidit Advocatus in foveam, quam fecit. Verba de quibus quæstio est, origine sunt Innocentii, vsu & appropriatione sunt Vrb. & Clem.

32. Nec modica Advocati oscitantia est non advertisse familiarissimum hoc esse Pontificibus Romanis suorum Antecessorum integras nonnunqam constitutiones, vel partes suis bullis inserere, vt duplicato pōdere, auctoritatis propositum fortius perurgeant. Quod nec Imperatoribus subinde insolens. Videat apud Baronium an. 811. n. 12. Magni Caroli literas, quibus sententiam Theodosii Imperatoris innexuit. Et quis nos oscitantiæ aut imposturæ arguat, si quæ à Carolo verè scripta sunt, ei attribuamus licet origine sint Theodosii.

33. Aliud commentum huic assuit Advocatus *p.* 14. *&* 22 dicens, quæ Clem. & Vrb. attulerunt, in iis non iudicium suum exhibere, sed narrationem eorum, quæ sub Innocentio gesta erant. quantum verò in hoc more suo hallucinetur, patet, ex ipsius Clement. Epist. ad Alfonsum scripta, in qua dicit, se mittere quædam ad illum ex Regestis Innoc. vt secundum ea, sua & suorum sapientium consilia dirigat. addit se propediem ex iis sententiam laturum; hæccine sunt narrantis tantum, an potiùs instruentis, hortantis & definientis?

34. In-

34. Insultat tandem nobis Advocatus exprobrans multarum bullarum iactantiam, quæ in tabulario Coloniensi lateant, interim nullam proferri, omnia in solo Innocent. conquiescere; Et si, quidem à Coloniensibus in lucem protrahantur, facilè totum negotium confici posse, p. 6. at quid si plures adferamus, credet ne? profectò, eo ingenio se esse prodit, vt vix Euangelio pro caussa nostra loquenti sine stomacho crediturus videatur.

Inspiciat, si lubet, Bullam Leonis noni datam anno 1052. nonis Maii indictione 5. quarto Papatus anno, in qua privilegium coronationis Hermanno Archiepiscopo corroborat; ibique nota, quæ initio Bullæ dicuntur, nempè Leonem confirmare Hermanno Archiepiscopo petenti ea privilegia, quæ ab Antecessoribus Pontificibus, pridē Coloniensi Ecclesiæ collata erant, inter quos Antecessores necessariò censendus est Leo tertius quā do anno 804. Hildeboldum Archiepiscopum vna cum Carolo Magno, dignitate coronandi Reges, ornavit. Addat huic Bullam Eugenii tertii datam anno 1151. Adriani Papæ, anno 1156. Alexandri tertii, laudatissimi Pontificis ad Philippum Coloniēsem an. 1187. quæ omnes bullæ Innocentio antiquiores sunt: Et sic res confecta videri poterit, si Advocatus verbi sui memor persistat. Incidit hic quæstio minimè dissimulanda, lucemque allatura Advocato, modò fenestras non claudat, cur nempè subindè apud auctores legatur, Archiepisc. Colo. collatū privilegiū intra Diœcesim suam coronandi Reges.

Explicantur verba, intra Diœ-

D Respond.

Respond. Ea forma loquendi amplificari honorem Ecclesiæ Coloniensis, non coarctari. Cum enim ex primæva Caroli Magni institutione, præsente Leone 3. facta, sola Basilica & Vrbs Aquensis regali hac coronationis prærogativa gauderet, eiusque loci magna esset, & inviolata ferè apud veteres religio, visum est postea quibusdam Pontificibus & Imperatoribus indulgere Archiepiscopis Coloniensibus, vt id ipsum in tota Diœcesi facere possent, tanto illustriore honore, quanto amplius illius exercendi theatrum essent sortiti.

35. Clarè id elucet ex facto Ruperti Imperatoris, narrante Hart. Mauro in coronatione Caroli quinti. Cum enim hinc Principes Germaniæ Carolum ad coronationem Coloniæ suscipiendã hortarentur ob periculũ contagionis in Vrbe Aquensi serpentis, illinc senatus Aquensis avitum suum locale privilegium à Carolo Magno datum vrgeret; supervenit Hart. Maurus cum cæteris Legatis Principum, vti ipse narrat, atque inter alia refert exhibitas esse à se & Collegis suis vberrimas Archetypas divi Ruperti Romani Regis Coloniæ coronati literas, quæ documento essent inter alias inclytæ Coloniensis Ecclesiæ prærogativas competere, vt Coloniensis Archiepiscopus quocumque loco suæ Provinciæ, suo arbitratu coronationis locum præfinire posset. hæc ferè sunt verba. vbi notet lector, provinciam Coloniensem patere, cis & trans Rhenum. 2. licet forte Archiepisc: Coloniensis pro suo arbitratu, non posset, designare locum

cum extra suam provinciam tamē si id ex aliis causis contingat, nihil de privilegio personali illius ideò detractum censeri. Enimverò eius rei occasio fuit, quod post depositum VVenceslaum Imperatorem, cui Rupertus successit, Aquisgranenses non satis promptè eidem Ruperto regalem sedem Aquisgrani exhiberent, putantes se VVenceslao adhuc vivo etiam tunc obligatos. Hinc enim Rupertus Coloniæ coronam suscepit, simulque extensivum illud privilegium Coloniensi Archiepiscopo Friderico concessit, quod etiam in quorundam Pontificum bullis notare licet. accessit insuper ingens dignitati Diœcesis Coloniensis incrementum, ex eo quod Imperatores in eadem coronari debeant; neq; enim Archiepiscopi à Cæsaribus evocati aulam Cæsaream assectari tenebantur, sed poterant illis intra suam Diœcesim locum coronationis pro arbitrio definire; neque illud specie veri caret, Pontifices quosdam Diœcesim Coloniensem pro theatro coronationis assignando, voluisse, vicinorum quorundam Episcoporum, jus coronandi prætendentium ambitioni frenos imponere & Coloniensibus suam præeminentiam quietiùs stabilire. Ex quo id quoque rectè observatur, nihil in personali Coloniensium privilegio vel diminutum vel dubitatum fuisse, quo minus vbique coronare possent, nisi ob religionem primævi loci à Carolo Magno sanciti, quam etjam Carolus quintus suo ipsius periculò contestatus est. neque facilè erit illius rei adducere exem-

 plum.

plum, quod ob incidentem in coronatione, loci mutandi necessitatem, persona quoque coronantis mutata sit; sicuti quando electio non Francofurti, sed in alia Vrbe peragitur, non proinde Electores suo eligendi juri cedere coguntur. duplex enim est privilegium, locale & personale, nec vnum ab altero semper dependet, nam sicut, si contingat, impedito Archiepiscopo Coloniensi, alium Archiepiscopum coronationem peragere, & ita mutari personam Coronantis, per hoc tamen privilegio locali nihil derogatur, ita quoque, mutato ob causam casumque, loco coronationis, nihil censetur privilegio personali, & personæ coronantis in jure decedere. Nam ea quæ casualiter & per accidens fiunt, non mutant jus & naturam rei, *Abb. Consil. 62. apud Tusc.*

36. Postquam autem loci religio apud quosdam vim privilegii personalis, ex æquo ponderantes, tanti non fuit, illi sine vlla Diœcesis mentione, absolutè, illimitatè, amplissimis verbis Archiepiscopis Coloniensibus contra quoscumque etiam ipsum Moguntinum suum personale privilegium asserverunt, vt in Innocentio tertio, Vrbano, Clemente, Friderico 1. Carol. 4. apparet. Quod si quis modò, mutato à centum ferè annis loco coronationis, etiam personam coronantis sua auita dignitate deiicere velit, atq; ita totam Caroli Magni vtrumque instituentis memoriam penitus abolere, is profectò rem arduam & hactenus nunquam tentatam in se susceperit.

37. Bullis Pontificum Romanorum meritò subjungimus sacros Canones, & eorum interpretes, fontibus nempè rivulos. Et imprimis ipsa Originalis Bulla Innocentij tertij honorem inter Canones meruit, cap. Vrlem. in 6. de Elect. & Electi potestate, *in quam commentator Innoc. 4. Pontifex loquitur in hæc verba. si in loco debito coronam non poßit accipere* (Imperator) *nihilominus jus & potestatem administrandi potest recipere à Coloniensi Archiepiscopo.* vbi notet Lector, fuisse olim tempore Ludovici Bavari agitatam quæstionem inter Canonistas, vtrum Imperator electus hoc ipso statim ante consecrationem & coronationem posset administrare Imperiũ, quo præmisso, inclamo hic Advoc. Moguntinum ad jura nostra nimis obsurdescentẽ. *Canones favent Coloniensibus.*

38. Vnde jam tanta potestas Archiepiscopis Coloniensibus, & nulli alteri, vt in defectu legitimæ coronationis, ex indebito loco proveniente, ipsorum sit defectum illum supplere, & dare administrandi potestatem? non enim hæc potestas ex jure Diœcesano provenire potest! ad caput rerum recurrere oportet, & constitutionem imprimis Caroli Magni, qui quando, & locum & personam coronantis perpetuò valitura lege in Hildeboldo, Archiepiscopis Coloniensibus designavit, eisdem Archiepiscopis potestatem illam dedisse censendus est, cum illius indubitatè sit supplere defectum & carentiam rei, cuius est dare integritatem, & plenitudinem rei. Ex quo loco juris Canonici ingens fit accesio rebus Coloniensium.

 si enim

Si enim Archiepisc. Colon. potest supplere defectum, qui ratione loci contigit, v. g. si coronatio non Aquisgrani, sed vel Basileæ, vel alia quapiam in Civitate, sine sufficienti auctoritate peracta esset, negare neutiquam licet, quod ipsius Coloniensis potestas coronandi, ad omnia illa loca se extendat, in quibus defectus coronationis ab ipso suppleri potest. Defectum enim supplere, & causam vulneratam sanitati & integritati restituere, sine dubio virtutem ac potestatem in supplente arguit, illo loco, vbi suppletur.

39. Quod si illa ætate Innocentii IV. Advocati toties ingesta distinctio, & Moguntinorum prætensio, nempe ad Coloniensem spectare coronationem in sola propria Diœcesi, ad Moguntinum autem in toto reliquo Imperio, fidem vllam aut probabilitatem habuisset, ad Moguntinum sanè potius spectaret, quàm ad Coloniensem eiusmodi defectus supplere.

Friderici primi pro Coloniensibus responsum.

Postquam sedes Apostolica satis superque jus coronandi, Coloniensi Archidiœcesi contestari visa est, convertit se patronus causæ ad rescripta, sanctionesque Imperatorum, & explicata sub initium Caroli Magni constitutione, adducit quoddam Friderici Barbaross. pro Coloniensium causa effatum in Conventu Principum Germaniæ, datum. Cum enim is Fridericus offensus videretur verbis quibusdam Adriani Pontificis, instituit Ratisbonæ celeberrimum Conventum Principum Germaniæ, cui ipse Moguntinus legitur interfuisse. Ibi

deti-

deliberans, quid Adriano respondere posset: in hæc verba loquitur. *Duo sunt, quibus nostrum regi oportet Imperium, leges sanctæ Imperatorum, & usus bonus Prædecessorum & Patrum nostrorum. istos limites Ecclesiæ nec volumus præterire, nec possumus, quidquid ab his discordat, non recipimus; debitam Patri nostro reverentiam libenter exhibemus, liberam Imperij nostri coronationem divino tantum beneficio adscribimus; Electionis primam vocem Moguntino (illo scilicet tempore) regalem unctionem Coloniensi, supremam vero, quæ Imperialis, Summo Pontifici, quidquid præter hæc est, ex abundantia est, ex malo est. Ita Radeu. in vita Barb. l. .c. 15.* Advertat Advocatus postremum sibi dictum, quando sua frivola distinctiuncula clarum apertumque Pontificum & Imperatorum sensum corrumpere nititur: Advertendum etiam 2. respõsum illud datum eo tempore, quo disceptationes & prætensiones Moguntinorum, Imperatorem minimè latere poterant, & quidem in pleno copiosoque Conventu Principum, atque ab ipsis Principibus, tanquam Imperatore dignum acceptatum, probatumque & Pontifici Adriano transmissum, adeò vt non tam Imperatoris, quam totius Imperii & Principum omniũ oraculum videri posit. Aderat Moguntinus illius Conventus non minima pars, audiebat illa, & referebat, sine dubio ipsius & Ecclesiæ suæ, sæpè dicta & conficta distinctiuncula tum vti, si quid juris sibi cõpetere, vel ipse, vel etiam alii Principes præsentes agnovissent. quam Advocatus insinuans, respexisse ait Imperatorem ad morem pristinum,

quo

quo obtinebat vt Imperatores Aquiſgrani coronam ſumerent, dubio procul eſt, memoriam fuiſſe priſtini moris, nam & hoc Imperator clarè dicit, legibus & vſu bono Prædeceſſorum regi Imperium. At verò ſicut Imperator Moguntini nullam omninò mentionem in illo Conventu, & antiquo coronandi ritu fecit, totam coronationis prærogativam ſoli Colonienſi adſcribens, ita nec legibus, nec vſu, aut certa firmaque conſuetudine Moguntini Archiepiſcopi, vllas omninò partes in munere coronationis tum fuiſſe certum eſt. Deinceps Advocatus quippiam inſpergit de Friderico ſecundo, huius Nepote, vaticinans quidnam dicturus fuiſſet, coronatus ipſe à Moguntino, non à Colonienſi, prout eſt, ad eiuſmodi conjecturas facilis.

40. *Reſp.* Extra controverſiam eſt, dicturum fuiſſe Fridericum ſecundum, ſe à Moguntino diadema & quidem Aquiſgrani ſuſcepiſſe, verum addidiſſet, quod Advocatus omiſit, id factum quando ſedes Colonienſis circa annum 1215. ob depoſitionem Theodorici vacabat.

41. Non veretur ſcriptor Colonienſis in hunc etiam numerum Imperatorum, qui Colonienſiũ partes ſuſtinent, adducere Henricum tertium Imperatorem. res breviter ita habet.

Henricus tertius Colonienſibus vindicat ius corondi.

Henricus tertius Imperator circa annum 1054: diadema filio ſuo Henrico quarto procuraturus, incidit in diſceptationem Lupoldi Moguntini & Hermanni Colonienſis, qui ſinguli honorem illum ſibi arrogabant. rem totam diſcribit Lambert.

Schaff-

Schaffnab. circa prædictum annum, qui pro Moguntino dignitatem primatus allegat, de Coloniensi fateri cogitur, quod Imperator Henricus tertius tandem Hermanno privilegium suum coronandi contra Moguntinum vindicaverit, ob generis claritatem & rationem Diœcesis. quæ duo, tanquam causas populares & magis obvias adducit. in quibus verbis Moguntinus scriptor palmariam profecto astuti Advocati operam artemq; suo Domino impendit. 1. enim privilegii mentionem, quam Historicus refert, ipse passim supprimit; deinde pro vindicabat, ponit: rogabat, eamq; vocem sic corruptam frequenter p. 44. p. 71. & alibi repetit. quasi Imperator precibus à Lupoldo cõsensum obtinuerit. Liceat mihi bona venia Advocati vel semel sciscitari mirarique qua fide hæc fiant? nunquid hoc est sub & obreptitiè narrare? nunquid in omissione & mutatione talium vocularum tota vis controversiæ & causa Coloniensium enervatur? Nunquid vindicare idem est quod rogare? quo auctore, quo Calepino? rogamus precibus; vindicamus jure, & manu non ad preces supplici, sed ad pugnam exerta.

Cumque Lambertus Historicus quantumvis Moguntinensium partibus addictus non possit privilegium Coloniensium dissimulare, quid opus erat consensum Lupoldi precibus obtinere, ei qui & privilegium habebat, & vindicem illius Imperatorem? Vindicabat ergo Imperator privilegium Coloniensi, id est, contra invasio-

nem & infestationem Moguntinensium defendebat: Ast vbi nunc est illa toties ab Advocato jactata cessio? super qua frivolam supradictā distinctionem & consuetudinem nimis inaniter fundare nititur. Et tamen (*inquit pag. 22.*) loquens de hoc facto Henrici Imperatoris, *cedit Moguntinus Archiepiscopus ius suum ante quæsitum Coloniensi Archiepiscopo, sed in ejus tantum Diœcesi, nec aliter, neque amplius?* Eamque crambem frequentissimè postea per totum scriptum repetit: quis cessionis illius ab annis sexcentis, & ampliùs meminit? vbi tabulæ, vbi testes tam solemnis, & coram duobus Imperatoribus Patre & filio factæ cessionis? potuitnè Lupoldus jus tanti momenti Ecclesiæ suæ, vt ait, quæsitum, sine auctoritate, sine tabulis sine debitis solennitatibus cedere Coloniensi? sin autem nihil horum vspiā apparet, quid tandem de hac cessione dicemus, nisi cessit Moguntinus Coloniensi, quia Imperatore vindicante cedere coactus est, jure inferior alli, qui jure & privilegio superior erat. Cede Deo, dixitq; & prælia voce diremit. Atq; sic totum illud cessionis figmentum evanescit, in quo Advocatus magnum planè robur causæ constituerat.

Carolus 4. pro Coloniensibus.

42. Tandem hanc litem meritò dirimere debuit Carolus quartus Imperator in funtamentali pragmatica aureæ Bullæ, vbi postquam Electorum de variis præeminentiis litigia composuit, singulisq; suas regales functiones assignavit, de Coloniensi ita loquitur. *Cui competit officium & dignitas primum diadema regium imponendi.* Verum cum Bulla aurea

Thesi

Thesi quarta examinanda sit, ad illum locum præsentem disceptationem remittimus.

43. Nunc invito Advocatum vt compendiosam infra scriptam tabulam, in qua illustres tituli Iurium Coloniensiũ, per octingentos & amplius annos depicti discriptiq; sunt, oculo, nec perfunctorio, nec animo fastidioso contempletur.

Titulus primus. Primæva Caroli Magni constitutio, qua præsente Leone tertio Regalis coronationis sedes in Basilica Aquisgra. collocata est, eiusdémq; regalis muneris, regalis Minister Hild. institutus. *Vndecim tituli iuris Coloniens.*

Secundus. Leo nonus, qui privilegium illud isti Sedi affixum ad totam Diœcesim extendit.

Tertius. Subsecuti Leonem alii plures supra nominati Pontifices.

Quartus. Rupertus Imperator supra allegatus.

Quintus. Henricus tertius Imperator, qui Hermanno privilegium suum vindicavit.

Sextus. Fridericus primus Imperator, qui de privilegio illo coronandi, absolutè, & sine vlla limitatione, pro Colon. in publicis Imperii Comitiis Ratisbonæ, præsente Archiep. Mogunt. pronũciavit.

Septimus, Innocentius tertius, qui Cognitor & Iudex imploratus ab Ottone & Philippo Imperatoribus electis, coronandi dignitatem amplissimis verbis Archiepiscopo Coloniensi, & quidem soli adjudicavit.

Octavus. Vrbanus quartus, & Clemens quartus, Pontifices, qui suum calculum, præeunte Innoc. Coloniensibus adiecerunt.

Nonus. Innocent. quartus Pont. qui in loco supra citato idem Coloniensis Ecclesiæ jus agnovit, & accedente plurium Canonistarum consensu extendit & roboravit.

Decimus. Carolus quartus Imperator, qui in Bulla aurea totam illam controversiam in omnem sequentem ætatem pro Coloniensi Archiepiscopo definivit.

Vndecimus. Carolinæ sententiæ subscribunt plures Canonistæ & Historici. nam præter Innoc. 4. Idem quod ipse tradit Archidiac. in *c. legimus. dist.* 93. *Gloß. in Clem. de jure jurand. in v. Reges* Rebuftus *in Provincial. omnium Ecclesiarum.* Azor. *pag. 2. lib.* 10. *c.* 5. Ioann. And. *extra v. de jure jur.* C. *Romani in Clem.* Lupold. de Babemberg. qui vixit anno 1353. in suo tract. *de jurib. Regni c.* 10. Petrus de Andlo. *lib. 2. c.* 6. vixit is tempore Friderici tertii.

Errores Advocati Moguntini.

144. Observet 1. Lector, quod *p.* 9. ab Advocato dicitur, omninò notandum est, Inno. tertium iungere locum & personam, id si pari passu intellectũ velit, fallitur, maior enim cura apparet apud Innoc. de persona coronantis, Archiepisc. nempè Coloniensi, quàm de loco, Vrbe Aquisgranensi, vti ex supradictis liquere potest.

Observet 2. quod dicitur *p.* 17. ab Advocato. si quis inter se conferat Benedicti septimi & Innoc. tertii bullas, vtra maioris sit ponderis facilè æstimabit. *Respond.* quid ponderis possit habere Bulla Benedicti, infra videbitur duobus annis prius data, quam potuit esse nata.

Pag.

Pag. 34. Hoc VVidekindus lib. 2. hoc Dithmarus eodem lib. *Respond.* fallacia est, neque hoc VVidikindus, neque Dithmarus, neque vllus vetustiorum, verùm solus Trithemius narrat.

Pag. 42. vel ex his exemplis colligi potest quomodo Coloniens. semper ad suam Diœcesim respexerint, neque enim vt ipsi coronarent Moguntiæ postularunt vnquam. *Respond.* Meritò respexerunt ad suam Diœcesim, ob privilegium locale, cui ipsi præiudicare nec volebant nec debebant. Coronationes autem Moguntiæ sine consensu Coloniensis factas, subinde retractatas legimus, vt patet in Philippo Suevo, & Henrico Sancto, quorũ prior Aquisgrani denuò coronari debuit à Coloniensi; posterior vel coronatus est vel certè electus & solennius iterum à Coloniensi proclamatus ibidem, vti infra.

P. 44. At ipse Leo nonus. Iam antè diem obierat. Ita est, obierat diem, verum exstabat Bulla illius supra citata, in qua privilegium coronandi Colon. non nouũ datum erat, sed antiquum confirmatũ.

45. Nunc exposito breviter iure nostro, proximum est mentem intendere ad consideranda firma solidaque ea fundamenta, quibus pag. 18. & 62. Advocatus Moguntinus turrim coronariam Principi suo superstruit, in eamque molem omnes ingenii studiique sumptus effundit, rationibus licet admodũ infeliciter nec ad regulam Euangelii subductis. Et quidem angularem lapidem in prætenso quodam primatu ponere non dubitat, eam ratio-

Fundamenta Moguntinens. de Primatu.

tio-

tionem firmam solidamque ducens, ob quam potiores in coronando Rege Romanorum, partes Archiepiscopo Moguntino tribuendæ sint.

Fateor, invita, timidaque manu, hanc pupillam Principum de præeminentia primatus tango, proinde non tam meo, quàm aliorum sensu, quantum res feret, vsurus sum, ac imprimis face opus erit, quam Nobis sacri Canones, eorumque interpretes præferant, necesse est. *Ioann. Azor. p. 2. lib. 3. c. 35. Barb. lib. 1. c. 6.* & alibi de jure Ecclesiastico. Primatem in Hierarchia Ecclesiastica, rigide arctèque accepto nomine, Eundem volunt, olim cum Patriarcha fuisse, ex *cap Cleros. dist.* 21. alibi, qua vocis notitione posita, sicut in toto Oriente non erant nisi tres Patriarchæ, & accedente postmodum Hierosolimitano quatuor, ita totidem duntaxat Primates; Eorumque ingens, & Romano Pontifici nimiũ æmula potestas, pluribus jurata obedientia subiectis sibi Metropolitanis, quibus pallium aliasque gratias suo jure conferebant. In Occidente, cum ea amplitudine vix alium præter Romanum Patriarcham, id est, Summum Pontificem agnoscimus; neque existimo, quod Advocatus Nobis alterum imponere velit.

Secundò. Ergo, paulò ampliore vocis, sed arctiore potestatis significatione *Azor.* loco citato, vocat quosdam Primates Minorum gentium; qualem in Italia videtur ponere Patriarcham Venetum, olim gradensem vel Aquileensem, in Hispania talem se fert Toletanus, cui tamen cum Bracharacensi

censi non vnius sæculi lis fuit, alii alibi. Hi porrò relicto ferè Patriarchali titulo, nomen Primatis proprium sibi fecisse videntur, dicebanturq; Patres non solum Episcoporum, sed etiam Archiepiscoporum, præerant enim Civitatibus, quæ erant capita Provinciarum, alias Civitates Archiepiscopis instructas sub se habentium, & sufficiebat eiusmodi Archiepiscop. esse vel vnicum, vti colligitur ex Provinciali omnium Eccles. apud *Rebuff.* & *Azor.*

46. *Tertiò.* Primates aliquando dicebantur ipsi Archiepiscopi, teste *Isidoro. Hisp. lib. 7. Ethim. n. 12. apud Marchant. tractat. 7. tit. 1 q 3.* Et fatetur *Azor.* olim Metropolitas, seu Archiepiscopos, dictos Primates, quia in toto Clero sunt primores, primi in Conventibus consident, primi sententiam dicunt. Et hi licet non sint veri Primates, nec habeant præeminentiam in aliqua tota natione, sæpè tamen in aliquo maiori districtu sunt honoratiores, quamvis apud eundem *Azor.* legatur Anicetus Pontifex in *c. nul. dist.* 99. vetuisse, ne Archiep. primatis titulo vterentur.

His præmissis quæ lucem aliquam dare possunt Lectori, serio, sinceroque studio in id incubuimus, vt Hierarchici in Germania ordinis dispositio, vndè præsens quæstio pendet, nos non penitus lateret, nullius rei, quàm veritatis potiori cura, neque enim illustrior honos, quam qui ex verò resplendet. *Nicol. Serrar.* inter paucos exactus solersque rerum Moguntinensium scriptor. *lib. 1. c. 21. & sequent.* Vetus inter tres ad Rhenum

Metro-

Metropolitas de præeminentia certamen neutiquam dissimulat, diserte scribens, minimè se ei repugnantem fore, qui aut Trevirense aut Coloniense, aut verò VVormatiense ius in Moguntinam Ecclesiam luculentius probaverit, cum ex verbis S. Bonifacii satis intelligatur, eam tunc, id est, tempore Pipini & Carolomanni circa annum 744. adhuc alteri Ecclesiæ subiectam fuisse, vnde quod consequens est, & ex Serario satis colligitur, Moguntina inter tres tardius ad Metropolitanæ decus accesit. addit Serarius ex B. Rhenano dicente, videri sibi aliquando tam Moguntinam, quam Agrippinens. Eccl. Trevir. fuisse subiectas, cuius asserti alium quoq; haud paulò accurratiorē patronum licet recentiorē nactus est. Ecclesia tamē Trevirensis religionis suæ exordia ab ipsis Apostolorum temporibus repetens maluit avitam laudem modestia vicinorumque quiete etiam nunc accumulare. Apud eundem Serar. Trith. existimat circa annum 720. Bruchius autem in catal. Episc. VVormatiensium circa annum 729. Moguntiam inter Metropoles relatam; verùm Serario multis titulis potior fides debetur, decretum quidem illius honoris in annum 745. confirmationem in 751. conjicientis, cum S. Bonifacius iam ab anno 732. pallio illi à Gregorio tertio in Gallias misso, titulum Metropolitæ, sed indefiniti & ambulatorii gessisset.

47. Advocatus, dum notat se hisce passibus lentè ad culmen illud Primatis sibi præfixū assurgere,

addu-

addducit tandem Bullam Zachariæ Pontificis ex lib.3.c.15.& Baronio an. 751.in qua sequentia verba reperiuntur. *Et idcirco auctoritate B. Petri Apostoli sancimus vt supradicta Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata habens sub se Tungros, Coloniam, VVormatiam, Spiratiam & Trectes.* Bullam qui legit, facile advertit, S. Bonifacium aliquid tale à Zacharia, vtique bono & sancto zelo petivisse. Respond. paucis, bullam agnoscimus, à Zacharia datam, verum effectũ & executionem vnquam habuisse, res ipsa negat. Minimè mihi hoc volet credere Advocatus, nisi probem & rectè, id enim Advocatorum jus est, offero proindè Advocato, primo quidem examinandum Baronium anno 755. reperiet ibidem in *nu.* 30. & 31. Epistolam ipsius S. Bonifacii, qua apud Stephanũ Pontificem successorem Zachariæ graviter queritur, Coloniensem Episcopum nolle sibi cedere Episcopatum Vltraiectensem, quam ipse Trecht, hodie Vtrecht vocant, à Sergio Pontifice adiudicatum. At si Bulla Zachariæ Papæ data anno 751 effectum habuit, & Moguntina Ecclesia sibi Coloniensem subiectam vnquam vidit, qua ratione fieri potuit vt vix annis quatuor post, Coloniensis Moguntino Archiepiscopo, & quidem ipsi S. Bonifacio Traiectensem illam Ecclesiam in eadem Bulla comprehensam subtraxerit, idque adeò probata causa, certòque jure vt eadem Vltraiectensis Ecclesia sub Archiepiscopo Coloniensi ad nostrã ferè memoriam permanserit: speciemne veri habet,

Bulla Zacharia Papa examinatur.

bet, Colonienſem Moguntinæ ſubiectam eodem tempore fuiſſe, & Vltraiectenſem eidem Moguntinæ ereptam ſuæ poteſtatis feciſſe? Et quidem hæc omnia facta oportuit anno 755. quo S. Bonifacius martyrio coronatus in cœlos abiit. Adde hiſce *Serar.* qui *l.1.c.23.* cum verba ex Bulla zachariæ recitaſſet, ad omnem ſcrupulum tollendum, ſubjicit *quæ ex bulla allata erant, ob hierarchici ordinis meliorem vſum mutata aliquantulum poſt.* Et quis tandem Scriptorum vſpiam meminit Colonienſem Moguntinæ ſubiectam fuiſſe; quo autem fructu bullam tot ſæculis non receptam, nec executioni vnquam mandatam modo in rem ſuam alleget Advocatus, videat Canoniſtas *c.1. de Treig. & Pace d 4. apud Azor. p.1. l.5. c.24.* De hac igitur bulla, quæ ſtatim in ortu ſuo atq; in ipſa herba exaruit, maiori ſuo commodo tacuiſſet Advocatus. Accedit quod Bulla illa ad paucos Epiſcopatus reſtricta Primatum totius Germaniæ nequaquam inducat.

48. Quodſi propinquiores temporum noſtrorum auctores ſpecialius de primatibus Germaniæ conſulamus, occurrit primo loco recentiſsimus *Barbos. lib.1. c.7. Iuris Eccleſiaſtici, & Ioann. Azor. p.2. lib.3. c.35* qui primatum Germaniæ Archiepiſcopo Magdeburgenſi, vel Salisburgenſi olim tributum docent. de Magdeburg. quidem Dodechinus longè antiquior, apud *Serar. lib.5. circa an.1135.* ſic loquitur. *Aſſerunt hac ætate Northbertum Archiepiſcopum Magdeb. ab Innocent. 2. primatum Germaniæ obtinuiſſe*

pro

pro se & successoribus, cum esset Romæ cum Lothario Imperatore anno 1135. antea verò Moguntinus cæteris in Germania Præsidibus prælatus fuit, vt supra in Hattone & alijs apparet, Videmus tamen in Epistola Benedict. V. ad Episcopatus Germaniæ scripta (in quibus etiam mentio fit Ruderti Moguntini , VVilligisi Antecessoris , Magdeburgensem vocari Patriarcham Germaniæ. hisce accedit *Meibom*: post notas in *VVitikind.* vbi refert iam tempore Ottonis primi, Adelbertum Archiepiscopum Magdeburg. inter omnes Archiepiscopos Germaniæ primatum habuisse. Videat ergo Advocatus quomodo Primatum Domini sui contra alios, qui in illius possessionem, non vnius duntaxat Pontificis auctoritate missi sunt, tueri possit, cui etiam arduum erit Ecclesiam Moguntinam in secundo primatus gradu supra posito collocare, cum antiquata semel Bulla Zachariæ Pontificis nullam Metropolim ei subiectam reperire liceat; quod illi gradui proprium videbatur.

49. De tertio gradu si quæstio est, in quo præcipui Metropolitæ tanquam Episcoporum Patres & primores consident, neminem arbitror esse, quin Archiepiscopo Moguntino primam dignitatem & præcedendi honorem lubens volensque concedat, salvis tamen singulorum particularibus, si quas habeant, prærogativis, prout Archiepiscopo Coloniensi in suis Diœcesibus, aliisque Regnis

 præ.

præcedendi honos debetur. profectò latæ frontis sit oportet, qui Ecclesiæ Moguntinæ splendidissimum ab omni ævo decus disceptare velit, à S. Crescente per quadraginta Episcopos, quorum non pauci inter cælites relati, à S. Bonifacio per sedecim Archiepiscopos, à VVILigiso per quadraginta sex Electores huc vsque ductum, & magnis semper gloriæ incrementis auctum. Quis ignorat, Moguntinam Archidiœcesim, sive numerum Suffraganeorum Episcoporum, sive Eorundem amplitudinem & potentiam spectes, omnibus planè Metropolitis antecellere, insuper Archicancellariatus perpetuo munere in Germania fulgere, nam reliqui tituli ab Advocato adducti, quales sunt: summi Præsulis, summi Sacerdotis, & Pontificis cum omnibus Archiepiscopis communes olim fuerũt, testante *Azorio & Barbos:* propriis locis, atque Archiepiscopo Coloniensi in vita S. Brunonis Annonisque & alibi attributi reperiuntur, Moguntitinensem splendorem dispergunt potiùs quam colligunt.

50. Neque dissimulare mihi vllo modo licet Coloniensem Archidiœcesim haud impari passu Moguntinæ subinde associari: Est cum Moguntina Ecclesia Agrippinensem subsequentem respicit, est cum eandem in suo districtu, præcedentem suspicit, sorores sunt, dotibus mutuis invicem gaudent, non litigant. quod si cui Ecclesiasticos fastos studiosius revoluere placuerit, reperiet is trecentis propè annis Coloniensem Ecclesiam ante Moguntigunti-

guntinam Metropolis titulo insignitam, & quidem magno ac irrefragabili auctore S. Athanasio rerum occidentalis Ecclesiæ minimè ignaro, in Concilio Sardicensi circa annum 348. vti illius hac de re Epistola apud Baronium testatur. quo tempore Moguntina Sedes, teste ipso sancto Bonifacio, alteri Metropolitæ subiecta manebat, alii remotius ab ipso Constantino Magno & Materno secundo Archiepiscopo honorem illum allegant vt supra. quem Maternum Imperator legatum & Iudicem in causa Cæciliani Romam misit, prærogativa non nisi Magnis Metropolitis consueta, vndè nil mirum S. Cunibertum centum & ampliùs annis antè S. Bonifacium Metropolitæ titulo vsum esse apud Bravv. sed præ omnibus audiendus Rupertus Abbas Tuitiensis doctrina & vitæ innocentia conspicuus, is *lib 1. c 27. de divin. offic.* sic scribit. Trevirensi Ecclesiæ Maternus à B. Petro missus, hæreditatem suam successoribus reliquit, sed primatum Metropolis Colonia obtinuit. quæ verba, qui à partium studio liber est, vtique non laborabit in sinistrum viliorcmque sensum detorquere, cum etiam nunc hodiè illius antiquissimi primatus non tam vmbra, quam radii quidam per Galliam Italiamque nullo contradicente supersint. Coronidem oppono ex Bulla Leonis noni, quæ circa annum 1052. Hermannum Coloniensem Archiepiscopum sacræ Romanæ Ecclesiæ Archicancellarium constituit, qui etiam honos in posterum ad B. Annonem successorem Hermanni,

Colonia Metropolis antè Moguntiam, & plura eius ornamenta.

aliosque transiit, vti inscriptiones docent apud Ciacon. in vita Leon. & alios: *Hermannus Archiepiscopus sacræ Sedis Apostolicæ Archicancellarius anno 5. Leonis noni.* nec desunt qui ex eadem Bulla, in qua Ecclesia S. Ioannis ad Lateran. eidem Hermanno titulo honoris confertur, Archiepiscopos Colonienses extraordinarios & hæreditarios S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales constitutos fuisse asserunt. *Gelen. in Engel. Malinc. de Archic.* Et ecce hæreditaria Coloniensis Ecclesiæ purpura duplici denuò honoris apice, extraordinario Cardinalatu, & Apostolico Archicancellariatu coruscans, quo præeminentiam sibi & primatum ante omnes vindicare posſit.

51. Sed mihi quidem ingens opus excrescet, si omnia ea ornamenta persequi velim, id propius institutum concernit, attendere quis status vtriusque Ecclesiæ Moguntinæ & Coloniensis tempore Caroli Magni fuerit, vt ex eo de prærogativa eodem tempore ab ipso Carolo instituta, rationes subducere liceat.

Hildeboldi dignitas. In quo iam supra ostensum est, Hildeboldum in tota aula & Imperio Caroli Magni, dignitatis amplitudine omninò omnibus præstitisse; fuit enim Archicapellanus, qui tum erat præcipui honoris titulus, & idem cum Archicancellario, vt pasſim tradunt; fuit Archicancellarius, quod Historici, & multò magis ipsius subscriptiones & gesta docent. Subscripsit fundationi Ecclesiæ Bremensis circa annum 788. primo loco.

Item fundationi Comitatus Tremoni: vti videre licet de his *Gold. tom.* 3. *Meibom. & alios* subscripsit in testamento Caroli primus post Carolum ante Moguntinum, sic enim habetur, *Hildeboldus, Riculphus, Arno.* apud Baronium anno 811. ex ipso autographo testamenti, ab Eginardo Romam misso. Præsedit anno 813. Nationali Concilio Moguntiæ celebrato ante ipsum Moguntinum præsentibus triginta Episcopis, ex quo numero liquet fuisse Concilium Nationale. Ita enim habetur apud Binn. & Sirmund. *isto anno, post Invocationem Sanctissimæ Trinitatis, & acclamationem Carolo factam. Hildeboldus, Riculphus, Arno.* quem putant fuisse Saltzburgensi. in eodemque Concilio subscripsit sic: *Hildebold. Sacri Palatij Archiepiscoqus.* gessit curam omnium Ecclesiarum, eoque titulo ab Adriano Pontifice, & Concilio Francf. circa annum 794. petente Carolo, fuit à residentia suæ Ecclesiæ liberatus, ob curam & vtilitatem Ecclesiarum, vt loquitur Concilium.

52. Præsidentia verò in Concilio nationali, cura Ecclesiarum integræ nationis, sine dubio ad primatem eiusdem Nationis pertinent, sicut & subscriptiones primo loco factæ Archicancellariatus officium æquè arguunt. Neque solus Hildeboldus ex Coloniensibus Archiepiscopis id munus gessit, nam & sanctum Cunibertum ducentis ferè annis antè Regibus Francor. à Cancellis fuisse perhibent, & sanctus Hildebertus circa annum 770.

ex Cancellario Regum ad Archiepiſcopum eve-
ctus eſt, nec deſunt qui ſex Archiepiſcopos, Co-
lonienſes, omnes inter cœlites relatos, præter alios
in aulis Regum & Imperatorum ea ampliſſi-
ma dignitate perfunctos recenſeant. Adde quod
ſupra dictum, Archiepiſcopos Colonienſes etiã
apud ſedem Apoſtolicam ſacratiore eiuſdem mu-
neris honore effulſiſſe.

53. Non tamen me latet munus Archicancel:
fuiſſe ſub initia Imperii Romano-germanici am-
bulatorium, nec vni ſedi Colonienſi affixum, ſed
pro affectu Imperatorum & qualitatibus Epiſco-
porum modo huic, modò alteri oblatum. Sed
nec illud obſcurum, alios fuiſſe ſubinde Cancella-
rios aulicos, alios Imperiales, eoſque ſuos Vicecan-
cellarios habuiſſe, quod etiam tum magis obtinu-
iſſe videtur, quando molem curarum negotiorũq;
ex tribus præcipuis Imperii Provinciis, Germa-
niæ, Italiæ, Galliæ humeris ſuis incumbentium
Imperatores in tres Archicancellarios, eoſque ad
Rhenum Metropolitas veluti totidem Atlantes
partiti ſunt.

His benè perpenſis, conſideret Advocatus Mo-
guntinus, vtrum Dominum & Principem ſuum
ad verum, genuinumque primatum primi aut ſe-
cundi gradus in germania evehere poſsit, cum ne-
mo Metropolitanus eum ſuperiorem ſuum agni-
turus ſit.

54. Conſideret 2. primatum illum præceden-
tiæ, quem Colonienſis Moguntinæ Eccleſiæ, ſal-
vis,

vis suis juribus non denegat, nulla pontificia bulla, valida & recepta, quam quidem videre licuerit, per Advocatum quantumvis sedulum & gnavum, probari potuisse, cum tamen ad Pontificem spectet de primatu Ecclesiarum statuere. Ideoq; Magdeburgens.& Salisburgensem, eiusmodi Apostolicis præsidiis munitos non timidè de sua præcedentia & primatu in Germania Transrhenana contra Moguntinum semper locutos, atque etiamnum loqui. *Quid de primatu Moguntino.*

Si verò Advocatus præcedentiam illam & primatum inter Archiepiscopos Imperii, vel ex aliqua congruitate rationis aut officio Archicancellarii aureaque Bulla Domino suo vindicet, sciendum est, illam in eadem aurea Bulla cum Archiepiscopo Coloniensi ita divisam esse, vt non minus huic per propriam Diœcesim & Provinciam, etiam vltra Rhenum ad Episcopatus plures extensam, Galliam item Italiamque; quam Moguntino intra suos limites debeatur. Et Imperator quidem Carolus præcedentiæ terminos vtrique Archiepiscopo satis accurratè descripsit, quando autem de prærogativa coronandi actum est, eam absolutè soli Archiepiscopo Coloniensi detulit, nec cum Moguntino divisam, nec vllis limitibus cis aut trans Rhenum, intra aut extra Diœcesim, distinctam. Proindè ob primatum & præeminentiam, quam Magdeburgensis & Salisburgensis disputare possent, quæque cum Coloniensi per Imperium latè sumptum, divisa est, & proindè non totam, qua

patet,

patet, Nationem Germanicam, ſed certum diſtri-ctum reſpicit, velle Archiepiſcopo Colonienſi jus coronandi contra auream Bullam, totque alios ſuſupra adductos titulos turbare, id Advocatus Moguntinus maiori profectò auſu, quam conſilio aggreditur.

55. Denique, quæ lex Pontificia aut Cæſarea jus coronandi Reges Romanorum ita arctè cum primario Sacerdotio, quodcumque tandem illud ſit, conjunxit, vt illi ſoli debeatur? Nunquid ad Epiſcopum Oſtienſem ſpectat abſente vel impedito Pontifice vngere, conſecrare, & coronare Imperatores Romæ? *Azor & alij*. Neque tamen eſt vel primas Italiæ, vel primus Cardinalium; verum habet hoc ex privilegio, vti & Colonienſis, teſte Az*or. lib. x. & Pet. Andlo. lib. 2. c. 6.* ſed nec Mediolanenſis, cuius eſt coronare Imperatorem Modoëtiæ, ſe primatem Italiæ, coram Ravennate Archiepiſcopo facilè dixerit, neque prærogativam coronandi habet ex primatu, ſed inſtitutione Theodolindæ Reginæ; & privilegio Gregor. Papæ apud Sigon. *lib. 1. de regno Ital.*

56. Cui autem indefinite dicere lubet eſſe juris gentium, vt primus Epiſcoporum vngat Reges, is Nobis dicat, quiſnam Epiſcoporum vnxerit Agamennonem, aut Philippum Macedonem, nam & illi populi jus gentium agnoverunt. potiùs dixiſſet eſſe juris & præcepti divini, ſiquidem Elias primus juſſus eſt vngere Azabel & Iehu, Samuël Saulem.

Conſideret tertio, omnes illas præeminentias eo

tempo-

tempore, quo Carolus Magnus Regalem Sedem coronationis Aquisgrani posuit, in Hildeboldo sæpedicto Archiepisc. Coloniensi accumulatas fuisse, & quidem ex vtroque tam primatus quam Archicancellariatus titulo, cui soli quis dubitet etiam coronandi dignitatem præ reliquis omnibus ab ipso Carolo collatam. Nam vt duo sint in eodem Imperio Regum coronatores, id fortè non minùs rarũ est, quam quod sint duo in eodẽ regno Reges.

57. Superest alterum fundamentum Petræ Apostolicæ si Diis placet, superædificatum, Bulla nempè Benedicti septimi ab autore *p.19.* citata & privilegio coronandi in favorem Archiepisc. Moguntini willigisi instructa: de qua paucis rem expedio *Suppositia Bulla Benedicti septimi.* 1. de Bulla illa magnum vbique silentium apud *Baronium, Serar. in vita VVilligisi & omnes.* 2. subscriptio Bullæ planè suspecta sine anno Christi, sine anno Papatus. vtrumque eo tempore nunquam reperio omissum. moris autem esse, vt addantur, & quidem per extensum, nomen Papæ, annus, aliaque apponantur docet *Rebuff. in pract. Regul. Cancell. p.* 405. Affirmat quidem Advocatus similes formas subscribendi per manum Stephani Notarii S. Sedis Apostolicæ in mense Martio, Indictione tertia esse apud Baronium vsitatas, verum nullam à Benedicto septimo Bullam datam in Baronio invenio. anno autem 971. exstat apud eundem Bulla Ioannis XIII. sed longè alia forma subsignata, vt videre licet. Et quid causæ putes, cur Moguntini illius Bullæ & privilegii, inter tot

& tantas disceptationes tot sæculis confirmationem nunquam petiverint?

58. Sed restat aliud & lethale omninò vulnus; Bulla notatur esse planè supposititia & subreptitia, prius baptizata quam nata, id vt videas, adverte Lector, Dicit Advocatus, Indictionem tertiam incidere in annum Christi 975. quo Benedictus septimus iniit Pontificatum, dicit 2. VVilligisum anno præcedente nempè 974. creatum esse Archiepiscopum Moguntinum: dicit 3. Bullam datam Indictione tertia, Christi anno 975. id est, secundùm Computum Advocati anno secundo VVilligisi. At verò indubitatum est willigisum non an. 974. nec anno 975. sed anno 977. Archiepiscopatum Moguntinum suscepisse; ita cum *Serario* Scriptores testantur, & ipse Serarius prolixè probat, willigisum anno 977. Pontificatum Moguntinum iniisse, anno 1011. finivisse. In eam rem adducit Serarius præter alia Epitaphium willigisi, in quo rudi & hiulco calamo veritatem exaratam perspicias. inter alia sunt sequentia. willigisus

Templum Victoris, quod struxit, stat tibi foris,
Pontem construxit, apud Aschaffnburg benè duxit,
Ac pontem per Naba, miles transit quoque verna.
Et benè necesse propè Bingh Maûsen dedit esse.
900. *C. novies pono, tunc Antistitem tibi dono,*
77. *His septemque dabis, & septuaginta notabis,*
977. *Fama datur justa, regnavit sex benè lustra,*
Sex tu conjunge, numerum tu cernis abundè,
M. X. I. Christe, decessit Episcopus iste.

Matthia

Matthiæ festo tumulatus erat, memor esto.
Atque hæc ex agresti, incultoque illius ætatis Parnasso, sumpta facilè agnosces.
Enimverò qui fieri potest, vt willigis. duobus annis ante initum Episcopatũ, confirmationem palliũ. que & privilegium de jure coronandi à Benedicto septimo acceperit; imò quis credat hos adeò palpabiles nævos eruditos Advocati Moguntini oculos effugisse? O quantum expedivisset, hic diem & consulem omisisse; quod auctor scripti germanici cautius observavit. meminerit verborum suorum *p.* 23. in fine, vbi sic de Colon. loquitur: poterat verò (& sanè fecisset prudentiùs) de his Pontificum decretis parcius loqui; sed libeat ipsam Bullæ subscriptionem & verba Advocati inspicere. Sic enim habet *pag.* 19. scriptum *(sic finit Bulla Benedicti) per manum Stephani Notarij S. Sedis Apostolicæ, in Mense Martio Indictione tertia.* Post quæ subiungit Advocatus: *hanc esse vsitatam eo tempore subscriptionis formam docebant similes Bullæ à Baronio productæ tom x. Annal. & alias satis notum est. Indictio tertia incidit in annum 975. quo Benedictus septimus inijt Pontificatum, VVilligisus autem anno præcedente 974. creatus erat Archiepiscopus Moguntinus,* sic Advocatus. At vt visum est, willigisus suscepit Archiepiscopatum anno 977. quomodo ergo Bullam confirmatoriam obtinere potuit, anno 975. subversis igitur, quæ ipse Advocatus putabat solida, fundamentis, reliqua super arenam posita facili vento difflantur.

59. Et quidem *pag.* 61. *n.* 52 aliam causam præten-

siæ prærogativæ adfert, quod olim per aliquot sæcula solus Moguntinus illa dignitate resplenduit: at verò, hoc est, de quo quæritur. Advocato tantum creditur, quantum probatur, & vbi tandem sunt illa sæcula, cum omnes propè anni excusi fuerint, & vix duo, ab Ludovico pio ad Ottonem Magnum, non Romanorú, sed Germaniæ particularis Reges inventi, de quibus pauci historici lubricè pro Moguntino loquuntur.

Reliqua fundamēta Moguntini explodun- tur.

Pag. 62. *nu.* 53. dicit, iis, qui eliguntur Germaniæ Reges inseparabiliter annexum esse titulum Romanorum Regis & Imperatorum, at *pag* 68, *nu.* 57. ait, neque enim primo illo tempore Reges omnes Germaniæ protinus Romani etiam Reges erant. hoc quidem ita se habet, vt in Conrado, & aliis patet, sed à priore satis diversum est.

Pag. 64. *n.* 54. Non esse vllam sanctionem vel vsum quibus Moguntino jus suum eripiatur. *Respond.* sat superque Moguntino eripit, qui Coloniensi totum, & quidem solummodo & illimitatè attribuit. de quo vide supra *p.* 66. *n.* 55. De aurea Bulla, erit locus proprius dicendi.

Pag. 67. *nu.* 56. Quod olim ortæ sint inter Moguntinum & Coloniensem de jure coronandi controversiæ, & etiamnum durent, id fit propter meum & tuum, nempè quod Moguntinus arroget sibi jus coronandi Archiepiscopo & Archidiœcesi Coloniensi iam à prima Caroli Magni Institutione debitum, reliqua quæ ibidem asseruntur sunt paralogismi.

Pag.

Pag. 68. *nu.* 57. Tria illa iam ſupra exploſa ſunt, ſicut & commentitia ceſsio: qualis autem ſententia à Ludouico Bavaro pro Archiepiſcopo Moguntino lata ſit apud *Bruer*:, id rectiùs Aovocatus diſsi. mulaſſet, ,: cum ſatis ex illa narratione evincatur Moguntinum tandem vadimonium deſeruiſſe, & quod ex ſententia Imperatoris probandum erat, in hanc horam nondum probaſſe.

Pag. 70, *nu.* 58. Relabitur ad ſuum Primatum, cui abundè ſupra reſponſum eſt. Neque enim habemus vnum aliquem qui toti Imperiali Germaniæ tali titulo præſit.

60. Sequitur nunc Theſis tertia quæ ſic habet.

Tertio à Colonienſibus Archiepiſcopis & ante & poſt auream Bullam ſemper fuiſſe vſque ad Maximilianum ſecundum exercitum (*jus nempè coronandi*) neque à Moguntinis niſi rarò & ex ipſorum conſenſu vſurpatum. *Actus Coronationis per Colonienſes exerciti.*

Hoc affirmant Colonienſes, negant Moguntini, Noſq; provocant ad veterum monimenta excutienda, quod non inviti, ſed quam breviſsimè faciemus, quamvis abundè in priori ſcripto factum ſit. Illud incommodè accidit continuum ferè eſſe Hiſtoricorum diſsidium, ideòque fidei quam Nobis de rebus olim geſtis facere deberent, non leve fieri dubium, imò diſpendium, quando ſinguli, quid ſibi videatur, narrare poſſunt, poſteris verò ob aliorum alia ſcribentium contradictionem, perſuadere nō poſſunt. diſputaturis ergo, qui Imperatores, Regeſq; à quibus Archiepiſcopis diademata

ſuſce-

susceperint, id initio statuendum est, non fore Nobis quæstionem nisi de Regibus Romanorum, id est, de ijs, qui in spem & rem Imperii coronati sūt, à tempore Magni Caroli, primi Imperii Romano Germanici in illa natione fundatoris. Atque ita quæstionem Nobis formant Canonistæ & Iurisc. *Panorm. in cap. Venerabilem. de Elect. & Electi potest*, Azor. *lib. x. c. 4.* estque communis omnium vox & consensus hanc quæstionem intelligi de solis Regibus Romanorum: prout ex ipsa Bulla Caroli Magni & A. B. Caroli quarti, vbi id diserte exprimitur, colligitur.

61. Moguntini, vt videantur Colonienses Archiepisc. in coronandi munere olim prævenisse, illud à Pipino Rege Francorum, Caroli Parente, per sanctum Bonifacium coronato, inchoant; verum de Pipino Nobis in hac disceptatione cura maior esse non debet, quam de Clodoveo aut Dagoberto, qui & Reges Francorum fuerunt, firmūque pedem in prima & secunda iam tum Germania posuerant: loquimur enim de Regibus Romanorum, quibus sedem Regalem coronationis Carolus Aquisgrani, non Suessione aut Remis statuit. Illud dissimulari vix potest, scriptorem Coloniensem indecorè sanè & asperè ab Advocato Moguntino, hoc loco tractari, quando illi scribenti apud *Serar. lib. 3. not.* 38. illam Pipini à S. Bonifacio factam Coronationem dubiam videri, suspectam lubricamque fidem probrosè satis ingerit, possetque mirum videri triviale illud exprobrandi

scom-

scomma, tam familiare Advocato esse, vt in scripto illius passim occurrit. Porrò vt fides famaque sua scriptori Coloniensi cõstet, non pigeat Lectorem paucis rẽ ipsam ex *Serar. L.C.cognoscere. Incurrunt, inquit, in historiam hanc quæstiunculæ, quarum prima est, an Pipinum non renunciaverit tantummodo, sed vnxerit etiam & coronaverit S. Bonifacius. Opiniones duæ sunt; ait vna vnctum à Bonifacio Pipinum, negat altera, sed à Stephano potiùs Pontifice Maximo vnctum. In priore illa sunt prisci Francorum annales, tam Niceneriani quam Pithean: Aimoin. lib. 4. c. 61. Marianus. Regin. Sigebertus, Lambertus & Historici omnes latini, vt ait anno 754 Baron. In posteriore sunt Anastasius Biblioth. Paulus Diacon. lib. c. 5. Egilvvald. lib. 2. c. 1. ipse Ludouicus pius, Pipini Nepos in Epistola ad Hilduin.* His adde *Thegan.* hæc sunt verba *Serarij*, ex quibus amice lector, tuum sensum exquiro, vtrum scriptor Coloniensis tam fœdam suspectæ fidei vibicem à Moguntino referre mereatur, dum coronationem Pipini à S. Bonifacio factam apud *Serar.* dubiam reperiri asserit. Quid enim dubium historicum dicemus, nisi quod ipsi invicem dissentientes historici sibi aliisque dubium faciunt? subiicit *Serar.* posse illos conciliari, dicendo, Pipinum bis, à sancto Bonifacio nempè priùs, & deindè à Stephano Papa coronatum. verum quid opus erat reconciliatione, si res inter dissentientes controversa & dubia non fuit.

62. Prima ergo quæstio in coronariis Imperatorũ fastis posset esse de ipso Carolo Magno, quem certum videtur coronatum prima quidem vice ab

ipſo Stephano Pontifice Pariſiis ad S. Dioniſium vnà cum Parente Pipino, & fratre Carolomanno anno 754. poſt mortem deindè Patris coronatus legitur Noviomi anno 768. ſatis etiam certum ex Sigonio & aliis coronatum Modoëtiæ in Lombardia, & tandem Romæ circa annũ 800. vel 801. ex *Baronio*. Cum autem nemo veterum coronationis wormatiæ factæ meminerit, vnde tandem eruit illam *Lheman?* quem nobis inſpicere non cõtigit. quod ſi Advocatus wormatiæ coronatum Carolum velit, non improbabile videri poſſet, id ab ipſo wormacienſi Epiſcopo factum, à cuius pedo Eccleſia Moguntina recenter tum vix ſe ſubtraxerat, vt ſupra ex *Serar. & S. Bonifac. viſum*. Aquiſgrani quidem coronari fortè Carolus noluit. Cum enim jam Romæ vltimam Imperii coronam à Stephano Papa ſuſcepiſſet, ad quid regiam, illi ordine prævium admitteret?

63. *S*ecunda quæſtio eſt, de Ludouico pio Caroli filio, quem cum in cunis Romæ coronatum aliqui affirment, tamen poſtea circa annum 813. ab Hildeboldo Aquiſgrani conſecratum eſſe, & coronam juſſu Patris ſibi impoſuiſſe tradit ante annos 440. Cæſareus in Manuſcripto pluresque alii, qui Catalogos Epiſcoporum Colonienſium ſignatos nobis reliquerunt. *Mag. item Chronic. Belgij. Chronic. Colonien. Kleinſorg. Claud. Roberti in Gallia Chriſtiana, Bentius in Germ. Mallinc. in Cancell. Beierl. in theat. Orbis. Ioann. Gualteri. Pet. à Beck. Gab. Bucelinus in Germ. Nopp. in ſuo Aquiſg.* Et ecce quid reſpon-

deri

deri posſit Conſarcinatori Moguntino, quando *p.* 27. ſcripti ſui, ſtomachabundus exclamat. *Quis igitur ab Hilboldo Ludouicum coronatum dixerit?* conſecratum nos diximus, quod proprium Epiſcopi munus, & de quo potiſsima quæſtio; atque hoc conſecrandi actu primam poſſeſsionem ampliſsimi muneris Archiepiſcopi Colon. in Hildeboldo adierunt, vt in priori ſcripto Colonienſi benè deductum,

64. Ludouico pio ſucceſsit Lotharius filius, quē Aquiſgrani diadema ſuſcepiſſe tradit Adelin. atq; ex ipſo, vt apparet, Pet. à Beck, quis autem dubitet, quin id ab Hildeboldo adhuc vivo, & ibidem præſente factum ſit. Lothario ſucceſſerunt deinde in Imperio Filii, Nepoteſq; ex Fratribus, quales Ludouicus ſecundus, Carolus Calvus, Ludouicus Balbus, Carolus cognomento Craſſus, de quibus cum fuerint in Italia à Pontificibus coronati, & in Gallia ferè regnaverint, non eſt nobis magna quæſtio, vti agnoſcit ipſe Advocatus *p.* 29. ſucceſsit tamen in Imperio & corona Arnulphus inter poſteros Caroli, ſed impari Matre, meruitque à Formoſo Pontifice Romæ coronari, fortuna parum conſtante, circa annum 896. ſicut Ludou. 4. Boſonis filius circa an. 901. qui omnes à Pontificibus Romanis, vt dictum, coronam & titulum Imperii ſuſceperunt. vtrū verò hi omnes coronati ſint in Germania, & à quo, nemo facilè probaverit. id certū eſt quoſdā nō eſſe. vide infra. Poſt Lud. 4. cū Otto Dux Saxoniæ onus Imper. renuiſſet, ipſius ſuaſu electus eſt

est Rex Germaniæ Conradus ex Francorum Ducibus. Hunc Conradum sicut & Ludouicum Arnulphi filium vult Advocatus ab Hattone Moguntino coronatos, verùm qui historiæ non omninò ignarus, meminit quam fuerit nigra ingrataq; istius Hattonis fama inter Principes Germaniæ, illi id non admodum verisimile occurrit. *Serar. lib. 4. in Hattone ita loquitur*: Acutum huic Episcopo omnes tribuunt ingenium, sed ita, vt vno astutiori facto magnam nomini suo securim apud omnes inflixerit. Clariùs rem narrat *Mar. Scotus* anno 908. Accedit quod Advocatus citet in rem suam Manuscriptum Mogunt. sed neque in *Serario* aut alio loco eius rei vlla mentio fit.

65. Neque multum nostra interest, cum Ludovicus quartus Arnulphi filius, Conradus, imò & Henricus auceps non fuerint habiti Reges Romanorum, sed solius Germaniæ; ita narrat *Regin. Schaffnab. Sigebertus Frising. & ipse Onuphrius probat lib. de Comitijs*, de quo quid in aliis sentiendum mox dicetur. Porrò vt coronationes prædictorum Imperatorum reddat probabiliores, fingit Advocatus tempore Ludovici & Conradi præter vnicum Moguntinum, in tota transrhenana Germania Metropolitam fuisse neminem; sed in hoc gravis error est. Sat enim docent Historiæ propriæ locorum jam ab anno 798. fuisse Salisburgi Archiepiscopum, & circa annum 832. Hamburgi, & si Dodechino fides est supra citato, etiam Magdeburgi saltem Ottonis Magni tempore; verum Ad-

vocatus secutus Onuphr. Panuinum, & is Aventinũ periculosum & suspectum apud multos auctorẽ, sepositis vetustioribus, quid mirum si in foveã vterque ceciderint. Panuinus antiquitatis cæterum satis gnarus scriptor, in rebus germanicis sæpè & graviter hallucinatur, vtrum auctorum meliorum defectu, an ad suum Aventinum erroneum ductorem nimis securo affectu, in medio relinquo. Exemplo sit fœdus error in eo, quod ponit initium Electoralis Collegii sub Gregorio deci- anno 1275. Item quod Henricum septimum Luxemburg. asserit primum corona ferrea Mediolani vsum, cum is vsus jam à tempore Caroli Magni, vt aliqui, vel certè Ottonis primi obtinuerit. Eadẽ infelicitate errandi in primo Moguntino scripto, witikind. affinxit, quæ nunquã in eo reperta sunt; & eiusmodi maculis fœdat rerum Germanicarum historiam, nec rarò Sigonium in easdem salebras post se trahit, Avẽtino quoq; plus æquo tribuentẽ.

66. Cumque Imperii Carolini status fuerit eo tempore turbatissimus, ac in Regna tria quatuorve divisus, Nepotibus Caroli ad mutua arma concurrentibus, quid mirum, ritum coronandi cum ipsis regnis & regum successione aliquantum à primo vestigio nutasse. neque enim illud rebus nostris robur adstruimus, quod nec ipsa fata, & magnarum rerum temporumque vicissitudines concutere valeant. *Ab Ottone primo ad Henricum tertium.*

67. Postquam autem sub Ottone primo coadunatis paulatim, quæ hactenus divulsæ erant, Pro-

vinciis

vinciis, Imperium Romano Germanicum restitui sibi cœpit, wigfridus Colon: Archiepiscopus in eiusdem Ottonis coronatione satis monstravit, se juris sui nec inscium nec negligentem esse; atque hæc fuit prima coronatio, cui Archiepiscopũ Moguntinum Hildebertum circa annum 937. se immiscuisse cum wigfrido Coloniensi narrat Advocatus. Res jam in priori scripto examinata fuit, nihil hic adducemus, nisi quod Advocatus admittit. 1. ergo concedit Dithmarum asserere, Ottonem coronatum esse ab Hildeberto Moguntino, sed cum licentia wigfridi Coloniensis. 2. admittit *Gobelinam Personam in Cosmod.* dicere illam licentiam non esse datam à wigfrido, nisi pro ista vice. 3. admittit widikindum dicere Ottonem ab vtroque Archiepiscopo esse coronatum. 4. admittit, apud eundem *VVitikind.* Coloniensem & Trevir. in illa coronatione cessisse almitati Hildeberti Moguntini. Erat enim Hildebertus ex illustri Ducum Franconiæ genere, nec minus illustris opinione sanctitatis. hæc omnia admittit Advocatus ab Historicis narrari, nihilominus evincere nititur eam coronationem propriam fuisse Moguntini, cum in toto negotio nihil quietũ, nihil proprium ei appareat. Certamen enim cæpit inter Coloniensem & Trevirensem, quorum vterque tandem Moguntino pacis causa detulit, licet, quantum ex *VVitikindo* colligi potest, nihil prætendenti, datum autem id fuit illustri prosapiæ & sanctitati, id est, vt loquitur auctor, almitati; vnde fallit Advocatus ex Dithma-

ro &

ro & Wittik, afferens, procerum judicio, honorem coronandi, contendentibus Trevi. & Colon: Moguntino delatū. Nihil enim minus dicunt illi: verū id solus *Thrith*, aliquot sæculis posterior de suo addit, quod benè advertendū, inter cæteras Advocati artes.

68. Secundus actus quietus fuit in coronatione Ottonis 2. de quo ita scribit *Roger. Coæv.* auctor, vixit enim eo tempore cum ipso wittikin. Coloniæ, & in Corbea. vnxeruntq; Ottonē æquivocū Patris Bruno Archiepis. Colon. wilhel. Mogunt. & Henricus Trevir. cæteriq; Sacerdotes Domini. Ita Rog. quæ qui legit, dubitare nequit, quin sicut Brunoni primus locus datur, ita & primas in illa coronatione eiusdem fuisse partes. quis verò non potius credat Coævo *Rogerio*, quā tot sæculis post Onuphrio toties in rebus germanicis fallenti. quantum autem ex hoc actu proficere posset Advocatus, judicet æquus lector. frivolum sanè est, quod dicit Brunonē ideò priori loco poni, quod fuerit frater Ottonis Imperatoris, & ideò senior wilhelmo Moguntino qui erat filius eiusdem & Iunior. quasi verò in Hierarchia Ecclesiastica, præcedentia ex ætate & non potius ordine & dignitate officiorum sumatur.

69. Tertius actus est in Ottone 3. hunc vult Advocatus à wiligiso Moguntino similiter coronatum, adducitq; *Tritbemium*, & vitam S. Gothardi Episcopi Hildes. verum *Dithmarus* in editione ann. 1580. opera *Reinecij* vulgata, quæ correctissima est, coronationem attribuit Ravennati Archiepiscopo. Idem facit auctor Coævus vitæ S. Meinw. Idem testa-

testatur *Onuphrius*, *Lambert. Schaffn. Funcius*, *Rubeus in historia Ravenn.* prolixè narrans quomodo in Germaniam missus sit Ravenn. Archiepiscopus (cum warinus Coloniensis senio & morbo confectus missionem petivisset.) Et ecce duobus ab Advocato adductis, opponimus facile sex historicos tanto antiquiores & certiores.

70. Quartus actus est Henrici secundi circa annum 1002, qui absente S. Heriberto Coloniensi Archiepiscopo Moguntiæ electus & coronatus est a willigiso; porrò S. Heribertus in humando corpore defuncti Principis Ottonis occupatus erat, ideoq; absens, vt scribit auctor in vita S. Meinwerci, & hoc sufficere poterat, vt ea coronatio nec juris quippiam Moguntino tribueret, nec Coloniensi adimeret; libenter enim concedimus, quod impedito & absente Coloniensi proximæ partes sint Moguntini. Verum qualis illa fuerit habita coronatio Moguntiæ invito Coloniensi facta, imò & Electio, patere potest ex historico Coævo, & ipsius Imperatoris Domestico. Is est Adelboldus, qui non S. Hermanni, vt erroneè Typographus, sed ipsius S. Henrici vitam scripsit, non illam, quā Canisius & Surius vulgarunt; sed aliam, cuius fragmentum ab Adelboldo relictum est, & à Gretzero in fine additum, impenseque ab eodem commendatum. *pag.* 430. Ibi ergo accurratè narratur secunda illa vel tertia coronatio. Cum enim Benno Dux Saxoniæ, & Bolislaus Dux Sclavorum coronationem Moguntiæ factam absentes ipsi, vt apparet,

non

non probarent, in festivitate S. Iacobi, inquit auctor, *Regi occurrunt, acclamatum suscipiunt, collaudant, collaudato manus singuli per ordinem reddunt, redditis manibus fidem suam per Sacramentum promittunt, fide promissa Regem coronant, coronatum in solio locant, locatum debita congratulatione venerantur.* 3. vel coronationem vel certè electionem novam & proclamationem, præsente S. Heriberto Coloniensi Aquisgrani à Lotharienfibus factam idem auctor tradit, cuius verba sunt: *Eligitur, collaudatur, in regiam sedem extollitur, glorificatur Henricus.* nec dissimulat auctor vnctionem Moguntiæ factam displicuisse. Videat Advocatus quanti æstimanda ea à Moguntino, absente & invito Coloniensi facta coronatio, tot emplastris curanda. Et en iterum egregium specimen fidei, qua scripti Moguntini auctor versatus est in antiquiorum testimoniis, his enim verbis *pag.* 40. salutat Coloniensem.

71. Quintus actus est in Conrado Salico, quem Moguntinus Aribo consentiente Piligrino Coloniensi Moguntiæ coronavit: neq; vllus hoc actu, Moguntino fuit quietior. Piligrinus enim cum gravem Imperatoris offensam ob contrarium in Electione votum contraxisset, coronationis munus Ariboni Moguntino permisit, ita tamen vt ad conservandum continuandumque suum jus Giselam Coniugem Imperatoris, volentibus & vrgentibus proceribus Coloniæ coronaret. *VVippo.*

72. Henrici tertii coronatio anno 1028. facta est à Pelegrino Coloniensi Aquisgrani sine con-

tradictione, quam, vel Amanuensis, vel Typographi incuria in typo neglectam, in manuscripto ad Imperatorem misso reperiet Advocatus; qui hoc loco *pag.* 42. lethalem plagam veritati historiæ infligit, dicens hunc Henricum tertium esse primum Imperatorem, quem Coloniensis Coronaverit, & mox subiungit sequẽtia. Vnicus est Chronici Belgici compilator, qui Ludouicum pium ab Hildeboldo fuisse coronatum asserat. At verò nos facilè decem supra adduximus ex varia natione & ætate historicos, qui id ipsum affirmant.

73 Anno 1054. coronatus est Henricus quartus tertii filius ab Hermanno Coloniensi, cui Imperator Henricus tertius prærogativam suam contrà Lupoldum Moguntinum vindicaverat, de quo supra; atq; deinceps leguntur Moguntini Archiepiscopi desiderio suo, coronandi Reges Romanorum temperantius indulsisse, non penitus abstinuisse. Nam & Sigfridus ingeßit se coronationi Friderici secundi, & quidem jure proprio, vt vult Advocatus, cum reuera vacante sede Coloniensi ob depositionem Theodorici ex delegatione Pontificis ea peracta sit: Eundemque wilhelmi Imperatoris dexteram postmodũ invnxisse gloriatur idẽ Advocatus. Ex ea verò contertatione, quæ fuit inter Petrum Moguntinum Archiepiscopum, & Trevirensem de Ludovici Bavari coronatione, id vnicum lector, notet, certamen natum, ex absentia Henrici Coloniensis, qui Fridericum Austriacum Bonnæ coronaverat: huic enim, si præsens fuisset, præ-

prærogativa debebatur. deindè in illo certamine à Moguntino vadimonium desertum, neq; jus suæ Ecclesiæ prætensum vnquam probatū fuit, prout ei à Ludouico Imperatore mandatum erat, atque id in tabulas publicas relatum. quod ergo tunc probari non potuit, quomodo nunc probabitur? atq; ita ab Ottone primo per quadringentos & amplius annos vsque ad Carolum quartum coronatium, hoc certamen inter Moguntinum & Coloniensem Archiepiscopos, impari tamen jure, viribus & numero perductum fuit. Nam ex toto illo Augusto Augustorum ordine ab Ottone primo, ad Maximilianum secundum, per sexcentos circiter annos, si calculum benè subducas, vix sex septemque summum, reperies ab Archiepiscopis Moguntinis coronatos, & quidem tam incertò jure & ritu, vt etiam nunc hodie de eo disputatio non cesset. cum ex adverso reliqui omnes numero in quadruplum maiori, ipso Advocato teste, à Coloniensibus nullo contradicente coronati agnoscantur, quibus si Imperatrices Giselam Conradi Salici à Piligrino coronatum Coloniæ, & Elisabetham Alberti Austriaci Norimbergæ à wichboldo diademate cinctam, aliasque adiicias, quis dubitare potest, quin Ecclesia Coloniensis possessionem coronandi Reges in Ludovico pio ceptam, tot sequentibus actibus exercitis continuatam, satis superque probaverit.

74. Hæc Advocati Moguntini ignorare non

possunt; sed nec illud, quantis præsidiis causa Coloniensis Ecclesiæ ex vtraq; suprema Orbis Christiani curia, Pontificia & Cæsarea petitis, vt supra visum, roborata sit; quantum eidem sacrorum Canonum, eorundemque Interpretum adminiculetur concors auctoritas, quantum Historicorum antiquiorum meliorumque consensus probabilitatis tribuat; in quibus omnibus, licet non asseramus semper definitivas esse sententias, mens tamen, & Principum, aliorumq; prudentium sensus de præsenti controversia satis inde elucet.

Vicissim, quam Moguntinis in hac materia tenuis domi sit & curta supellex; quam omnia à Cæsareis diplomatis, à Pontificum Bullis, á Iurisconsultorum sententiis, responsisque nuda, & vacua, quam arctè suum jactatum primatum contrahere cogantur, quodque Bulla Benedicti septimi ruborem potius quam honorem causæ conferat. Et si quidem aliquam rebus suis firmitatem adesse volebant, posterisque probabilem reddere; ecquid rei est, cur à tot sæculis in re tanti momenti controversa, toties disputata, nullam ab vllo Pontifice, ab vllo Imperatore juris sui declarationem, rescriptum, confirmationem adferant? Incredibilis væcordiæ est, ea omnia neglecta, si quidem Iustitiæ causæ debita fuissent; totum jus in paucorum Historicorum invicem digladiantium ancipiti concursu, id est, incerta & lubrica narratione constitutum habent. Inter quos mihi vnius silentium, quam maximè suspectum meritò videri potest. Is est,

est, *Nicolaus Serarius*, qui quinque à se scriptis libris, id studiosissimè egit, vt Ecclesiæ Moguntinæ ornamenta & gloriam Orbi Christiano quam illustrissimam & splendissimam exhibere posset. Et quis dubitat omnium illorum ornamentorum prærogativam coronandi pulcherrimam coronidem futuram fuisse, si quidem ea isti Ecclesiæ vlla specie veri asseri poterat. Verum de hac prærogativa Moguntinen. Ecclesiæ, proprio, &, vt dixi, perpetuò jure debita, apud *Serar.* summum silentium. *Causam ipse candidissimi pectoris scriptor reddit, lib. 3. in S. Bonifac. not. 37. sub finem. Quid igitur? non ita me transversum rapuerit Moguntiæ nostræ amor, vt quod firmè satis astructum non video, asseverem.* Ita ille. quem sinceritatis spiritum omnibus Moguntinis scriptoribus hæreditarium optamus.

75. Observet lector 1. Advocatus Moguntinus *p.* 44. audacter asserit, ex Onuphrio, per tria ferè sæcula, nempè vti auguror, ab anno 754. quo Pipinum coronatum á Moguntino credi volunt, vsque ad annum 1028. & coronationem Henrici tertii, omnes Imperatores á Moguntinis Archiepiscopis coronatos esse. id autem quam rectè, ex scientia & fide historica dicatur, breviter inspice. Sit ergo prima periodus istorum trium sæculorum á dicto anno 754. vsque ad annum 823. & coronationem Ludouici secundi. At tota hac periodo, nullus omninò Imperator coronatus legitur á Moguntino; neque advocatus vllum adfert. nam de Pipino visum est, & videbitur infra. secunda periodus ab *Errores Mogunt.*

integrum fuisse Moguntino; at quomodo illi integrum fuit, cum à tempore Henrici 3. vsq; ad A. Bull. per tria ferè sæcula nullũ actum coronationis extra Diœcesim ab eo exercitũ infra demõstratũ sit.

Obser. 3. *p.* 70. provocat nos Advocatus Mogunt. dicant (*inquit*) Colonienses, aliam si quam habeant causam (*præter jus Diœcesanum*) ob quam coronaverint; *Resp.* Aures habent, & non audiunt, oculos, & non vident. diximus iam & propter importunitatem Advocati repetere cogimur, habent institutionem Caroli Magni: plurium Pontificum & Imperatorum responsum; tandem legem pragmaticam A. Bullæ illimitate Colon. jus coronãdi tribuẽtes.

Observet 4. *p.* 58. Asserit, Advocatus, Archiepiscopos Colon. non esse refragatos Moguntinis, neq; jus quod prætẽdunt, sibi reservasse. recordetur hic Advocatus, quid gestũ in coronatione Henrici 2. quid in coronatione Henrici 4. quid in Maximiliano secundo, & reliquis postea Imperatoribus.

Observet 5. *p.* 59. adfert coronationem trium Maximorum Imperatorum, nempe Ottonum pro Moguntino: at quid tandem habuit eximium Moguntinus Archiepisc. in Ottone 1. quem ex licentia Coloniensis vnà cum ipso coronavit. quid in Ottone 2. in quo primas partes gessit Colon. quid in Ottone 3. quem teste Dithmaro coronavit Archiepisc. Ravennas, & Moguntinus astitit. Coloniensis enim warinus valetudine impediebatur.

76. Thesis quarta.

Quarto confirmatum (*jus coronandi*) Coloniensibus Archiepisc. publica sanctione Aureæ Bullæ à

Carolo quarto, sine vlla Diœcesis Coloniensis intuitu, nullaque addita limitatione.

Hoc asserunt Colonienses, idque vt probent, sufficere poterant ipsa verba aureæ Bullæ, quæ sunt sequentia, *c.* 4. §. 3. *primò quidem interrogabit à Trevirensi Archiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus, sicut invenimus hactenus competiisse; secundò Coloniensi, cui competit dignitas, nec non officium Romanorum Regi, primum diadema regium imponendi.* hæc verba clarum adeò, apertumque sensum legenti statim obiiciunt, vt scriptorem Coloniensem ab vlteriori probādi onere, meritò absolvere possint. Neque enim quis legem probare tenetur, sufficit, si illam in publicis tabulis spectandam exhibeat. Verum cum Advocatus Moguntinus, id pridem obstinuisse videatur, vt ipsi diem, sole splendente negare liceat, nobis probare incumbat, agedum, lucem quoque verbis istis, adferre conemur, idque more nostro, pauculis quæstionibus.

Quæstio prima. Vtrum Carolus quartus verbis supradictis (cui competit, dignitas, nec non officium Romanorum Regi primū diadema regium imponendi) legem aliquam statuat & confirmet. sive, vtrum ea verba, sint legislativa, an verò tantum narrativa & attestativa.

Respond. Advosatus Moguntinus, dum hanc rem *pag.* 52. tractat, loquitur sequenti modo. *Quanquam autem omnia, quæ in aurea Bulla continentur vim legis pragmaticæ, & perpetuò valituræ obtineant, habent se tamen illa diversimodè; alia enim tum recenti auctoritate*

Imperatoris, & communi statuum Imperij consensu, fuerunt constituta, alia autem, quæ longa consuetudine, & diuturno vsu, in Imperio fuerunt introducta, non tamen communi adhuc omnium consensu, confirmata hac publica lege, fuerunt incertiorem ordinem redacta & stabilita. quæ verò in Aurea Bulla de jure coronandi ad Coloniensem Archiepiscopum spectare legimus, ea ad neutram classem referri possunt; Sunt enim tantum narrativa & attestativa Iuris, quod Colonienses, diuturno sibi vsu acquisiverunt.

Ita ille, ex sua tripode, sed bona eius pace, frigidè, si vnquam aliàs; quo enim auctore, qua lege hoc dicit, aut cui tandem, hanc suam interpretationem contra diserta legis verba, authenticam faciet? Ergone Regale coronandi munus, ritusq;, quo vtroque nullum illustrius, vel ipso Advocato teste, ita eviluit, vt de eo, sapientissimo Legislatori nuspiam cura fuerit aut providentia? Et solus Elector Coloniensis eandem suam regalem prærogativam, nulla certa lege firmatum, tot sæculis ab Historicorum dissidiis suspensam, Advocatorum cavillis castigatam, traductamque hactenus habuit, habebitque imposterum, dubiam nempè semper & litigiosam? si enim verba ex Aurea Bulla adducta vim præcipiendi non habent, sed sunt tantum attestativa & narrativa, vti vult Advocatus, certum est, nihil in toto Imperiali jure, de coronandi ritu & munere statutum reperiri. 77.

78. Verum dispiciamus, quænam sint illa verba vim præcipiendi non habentia, sintq; solum narrativa & attestativa. Et imprimis c. 4. *Aureæ Bullæ.*

 Cui

Cui . §. 3. verba sæpèdicta inseruntur, Incipit à termino & voce legislativa. *(statuimus,)* vti in priore scripto Coloniensi visum. observant autem Iurisconsulti, per eiusmodi verba, *(statuimus, decernimus)* si in Constitutionibus ponantur, ius aliquod novum indicari, vt docet *Azor. p. 2 lib. 8. c. 11.* idque ex toto contextu istius capitis, in omnibus omninò membris quæ plurima sunt, apparet; solum Archiepiscopum Coloniensem exlegem facit Advocatus Moguntinus. lubet verba pragmaticæ repetere. *Cui competit dignitas & officium* : sine dubio, de verbo *(competit)* potissima debet esse quæstio. At quis Scriptorum & Grammaticorum hoc verbum inter narrativa vnquam recensuit? studiosius inquirenti triplex potissimum istius vocis notio occurrit. primo enim, competere, est honores, officiaque cum, vel contra alium petere. hinc Competitores, id est, Candidati honorum. 2. *Competere*, idem est, ac conveniens, idoneum legitimum; hinc competens Iudex. 3. apud Iurisperitos in Materia legum, competere, significat, deberi. *Scævola in l.* qui habet; §. scripti *ff. de Manum:* testamento competere libertates, id est deberi libertates; Et ecce, quam aptè, quam dexterè omnis hæc significatio, Coloniensium juri contra Advocati somnia subservire reperitur. Non pigeat, verba etiamnum repetere. *Coloniensi Archiepiscopo competit dignitas & officium Regi Romanorum primum diadema regium imponendi.* id est Coloniensi Archiepiscopo convenit & debetur dignitas & officium

coro-

coronandi Reges. quid clarius? quid apertius? debebat sanè istis verbis tota hæc controversia decisa, sopitaque videri, sicut omnibus hactenus visa est. Ad hæc nunquid advertere poterat Advocatus, Eandem vocem (*competit*) in linea immediatè præcedenti, & causa Trevirensi, non narrativè, sed omninò decretivè sumi? *Sic enim loquitur Imperator Cui* (Trevirensi) *primam vocem competere declaramus, sicut invenimus hactenus competijsse.* qua ergò licentia, in linea proximè sequenti, & causa Coloniensi, simillimaque planè materia ad alium sensum violentum detorquetur? Addat Advocatus *cap.* 25. §. 2. Aureæ Bullæ, vbi Imperator eidem voci parem omninò vim tribuit. *Primogenitus Filius succedat eis, sibique soli jus & dominium competat* . id est, *sibi soli debeatur.*

Est autem regula Iurisconsultorum, in legum interpretatione à communi vsu verborum non recedendum, & vbi est identitas verborum, non debet esse, fingique diversitas rerum & sensuum. Imò leges ex legibus optimam interpretationem accipiunt, *Azor. pag.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. Cumque ergo in pluribus locis Aureæ Bullæ Vox (*competat*) ponatur à Legislatore, assertivè, imò nullibi aliter, cui persuadebit Moguntinus Advocatus, in sola causa Coloniensi cum tanto eiusdem præiudicio, narrativè sumendam? Alia quoque in eodem textu gravis notatur oscitantia, vt benignius loquar: Vult Advocatus

Moguntinus *p.* 52. Imperatorem dum de Coloniensi loquitur, respexisse ad morem priorum temporum, quo idem Coloniensis videri poterat jus aliquod intra Diœcesim suam longo vsu acquisivisse, Moguntinus verò extra illam in reliquo Imperio. Ita enim intelligi debet eiusdem distinctio, in qua sibi tantoperè complacet, & totius controversiæ robur constituit. Verum Imperator, non in Coloniensi, sed in Trevirensi causa, antiqui temporis vsum allegat; sic enim loquitur, *primam vocem Trevirensi competere declaramus, sicut hactenus competijsse invenimus:* de Coloniensi absolutè, sine temporum locorumque respectu & limitatione asserit: *Cui competit dignitas & officium, &c.* Et qua tandem spongia hos omnes nævos, coram Principe suo absterget Advocatus Moguntinus.

79. Quod ergo ipse agnoscit loc. supra citato, Quæcumque in Aurea Bulla continentur, vim legis pragmaticæ & perpetuò valituræ obtinere, id vniversaliter, æquè omnibus, etiam Coloniensi fixum firmumque manere par est. Cumque sagacissimus Imperator controversiis longè minoribus providentiam suam impenderit, quis præsumat illum in re tanta, tot sæculis litigiosa, à scopo suo, & á se ipso degenerasse: dissimulare hic vix possum, delicatum & infirmum Advocati stomachum, qui minutias quasdam concoquere non potest. dixerat Scriptor Coloniensis in priori scripto *p.* 32. Imperatorem quasdam minutias, exempli gratia, de benefictione mensæ imperialis, de porrectione

libri

libri Euangelii,non neglexisse, multò minus maiora neglecturum. hic insurgit Advocatus Moguntinus *p.56.* & primo quidem exempla istarum minutiarum in scripto Coloniensi posita, satis vafrè in alia commutat ; mox vt cœptum ex musca sua Elephantum perficiat, per duas ferè paginas, operam strenuè perdit. Nunquid enim benedicere mensæ,porrigere osculandum librum Euangelii, quod sæpè ad inferiorem ministrum spectat, minus est, & multò minus,quam vngere & consecrare Christum Domini ? si ergo multò minus est, tantumne piaculum,tamque crudo stomacho dignum eiusmodi respectivè vocare minutias.

80. Ex his postquam satis constat,verba §.3.*c.*4. Aureæ Bullæ Archidiœcesim Coloniensem concernentia,non esse tantum narrativa,sed decretiva; quæritur modo,quid per illa cautum , decretumq; censeatur : facilè videt amicus lector, quæstionem non esse dubitantis,sed instantis & vrgentis;quod subindè opus est, quando adversarium difficiliorem nacti sumus.

Equidem cuilibet,sapientissimi Legislatoris æconomiam in Aurea Bulla servatam , exactius expendenti , is vnicus tam operosæ Constitutionis Scopus statim occurrat necesse est, vt æqua fieret, tum inter omnes , tum maximè Electores Principes, honorum munerumque distributio; quæque inde consequi solet, sincera pro publico Imperii bono, animorum concordia: quam suam intentionem Imperator magna & anxia so-

 licitu-

licitudine, statim in ipso Aureæ Bullæ exordio, palam omnibus facit, illique insistens pomum Eridis è medio amoturus, Electoribus præ omnibus aliis, suas singulis regales prærogativas, in duplici, solẽniq; potissimum actu, Electionis & coronationis administrandas perpetua valituralege partitur.

81. Et Mogũtino quidem Archiep. ipsius Electionis indictionem, cnovocationem, suffragiorumq; curam & totius machinæ illius directionem. Elect. Trevir. primam eligendi vocem, peculiaremq; & proprium præ aliis sessionis honorem assignat. Cum autem in actu electionis Archiepisc. Colon: aliqua simili prærogativa, honorare pro meritis nõ posset (*nam habere secundam vocem, non tam est honoris, quam ordinis & officij*) in altero nempè coronationis actu primam illi dignitatem, diadema regiũ imponendi contulit, eademq; A. Bulla firmavit: de hac enim fuerat, à tempore Ottonis 1. inter Moguntinum & Coloniensem controversia, ab Historicis rerum germanicarum frequenter commemorata, quæ proindè sapientissimi Imperatoris, eiusmodi litigia exstirpare volentis providentiam effugere, latereq; nequaquã potuit, nam tametsi plures subinde Pontifices Romani, suum de ea re sensum, satis declarassent, & Fridericus 1. sicut & Henricus 3. illam coronandi prærogativam Archiepisc. Coloniensi adscripsissent & vindicassent, vt sup. visum, tamen Fibræ dissensionum, tot annorum decursu roboratæ penitus evulsæ nõdum erant; vt dubitari

non

non possit huius controversiæ componendæ curam, potissimam providentiæ Imperialis partem extitisse. Cuius rationis vim, quam omnes facilè notant, cum adversarius retundere non posset, sollerter declinare nititur.

82. Nam *p.* 54. *n.* 44. astutè ingerit nullam diu fuisse Moguntinum inter & Coloniensem de jure coronandi contentionem, à trecentis nempè annis, & tempore Henrici tertii. Ideoque cum A. B. promulgata fuerit, ad dissensiones inter Principes Electores tollendas, non fuisse admodum opus eius rei meminisse, de qua non esset amplius controversia; Ita Advocatus, si non veré, profectò opportuné sibi & ingeniosé. Etenim quod Moguntinum inter & Coloniensem de jure coronandi non fuerit eo tempore cōtroversia, id ipse viderit, quomodo *pag.* 54. sine rubore asserat, cum *pa.* 49. & alias non tantum in Friderici 2. sed etiam in Ludoici Bavari coronationem, Moguntinum se ingessisse fateri cogatur. Et quidem huius posterioris coronatio, non sine gravi certamine, nec vno solo peracta est. Cum Trevirensis absente Coloniensi, se Moguntino opposuerit, & Coloniensis reclamaverit. teste *BraVvero.* additque *Albert. Monachus in Chronic.* Ludouicum coronatum Aquisgrani in loco, vbi debuit, sed non à quo debuit. Cui consentit Manuscrip. loc. apud *Serar. lib.* 5. in *Petro* dicens. Alter *(Ludouicus)* à quo non consueverat, eo tempore coronatio peragi coronatus est, id est, ab Archiepiscopo Moguntino.

Quo-

Quomodo ergo, tempere Caroli quarti, iam diu non fuerat controversia inter Coloniensem & Moguntinum, cum Ludouicus Bavarus Carolo Coævus immediatè præcessisset in Imperio, exstarentque eiusdem disceptationis de Imperio inter vtrumque *Ludouicum* & Fridericum satis funesta vestigia. Atq; ex his docemur hanc legem de prærogativa coronandi ad quietum tranquillumque Imperii statum inducendum, conservandumque omninò necessarium fuisse; quam proinde Imperator brevibus, sed perspicuis verbis, quæque legenti, nihil deinceps dubium relinquerent, consensu omnium Principum tulit, pro tuctoritate & Maiestate Imperatoria pronunciando; *Archiepiscopo Coloniensi competit, dignitas nec non officium Romanorum Regi primum diadema regium imponendi*; eaque promulgatio facta est loco proprio, quo reliquis omnibus Electoribus suæ singulis præeminentiæ decretæ fuerunt. Advertat autem amicus *Lector*, verba (*dignitas nec non officium*) hæc enim personam intimè afficiunt, & individuo cum quocumque altero honore, comitantur. Advertat 2. verba (*primum diadema*) triplici enim corona à tempore Caroli Magni Imperatores Occidentis redimiri solebant, primam sumebant Aquisgrani, alteram Modoetiæ vel Mediolani in Italia. tertiam Romæ. ad tollendum autem omne dubium, primæ coronæ in Germania imponendæ dignitatem Imperator attribuit Archiepiscopo Coloniensi: poterat enim quis existimare Italicæ coronæ honore,

illi debitum, cum in Italia, non in Germania Archicancellarius esset. Idque benè observet Advocatus Moguntinus, officium coronandi non semper Archicancellariatui cohærere. prudenter autem cauteque Imperator, dum legem præsentem sancivit, nec litigantis alterius partis, nec ipsius controversiæ mentionem vllam fecit, vt suo exemplo omnem litis illius imposterum memoriam ex animis hominum prorsus evulsam, se velle, ostenderet. quod similiter in quibusdam aliis controversiis per auream Bullam sopitis observare licet. atque ita sentiunt, quoscumque in A.B. Commentatores, videre contigit, infra citandos, inter quos *Rumelin p.3.dissert.6.* vbi culpat Georg. Sabinum, qui asserere ausus erat, in coronatione Caroli V. Archiepiscopum Moguntinum vna cum Coloniensi, in partem istius muneris venisse; de quo sit.

83. Quæstio tertia: vtrum exstet aliqua lex, aut consuetudo post Auream Bullam lata, aut vsurpata, qua Archiepiscopo Moguntino jus coronandi Reges Romanorum extra Diœcesim Coloniensem conferatur. *Vtrum sit lex aut consuetudo qua Moguntino favet.*

Quæstio movetur de lege aut consuetudine post aurem Bullam: nam quidquid ante controversi aut juris, aut facti fuisse dici posset, id per auream Bullam decisum definitumque manet, quamvis & jus, & vsus etiam ante Aur. Bull. omninò Coloniensibus faveant vt infra visum. *Resp.* ergo neq; in Aurea Bulla, neque in toto jure Imperiali, veteri

aut novo apicem vnum reperiri eiusmodi legis, vel consuetudinis testem; sed nec firmum vestigium aliquod, similis moris ab Advocato, quamvis sedulo allatum est. Idq; ad negativam nostram probandam abunde satis erat. Nam in distributione honorum & munerum, quæ à Principibus debito modo, locoque fit, si quis tacitus scienter prætereatur, is pro excluso habetur, vt quotidiana experientia probat.

84. Neque defuit Imperatori Carolo, inter alias, duplex vrgentissima causa, ob quas Archiepiscopo Coloniensi; neglecto Moguntino, prærogativam coronandi deferret: Etenim in actu Electionis, omnes ferè præeminentiæ soli Electori Moguntino collatæ erant, præterito Coloniensi; aliisque similiter Electoribus suæ singulis dignitates & officia assignata, nulla Coloniensi, vt supra visum. At verò, quomodo Iustitiæ distributivæ, quæ in honorum partitione bilancem tenet, quomodo concordiæ inter Principes tantoperè optatæ securitati, consultum erat, si talis, tantusque Princeps, quantus semper Archiepiscopus Coloniensis in Imperio habitus est, in ritu coronationis se neglectum vidisset; quemadmodum in §. prædicto factum viderat, nullus sanè tam vivax, potensque est, ad discordiam inter viros Principes concitandam, sensus, & stimulus, quam neglecti, denegatique honoris; aut quæ tandem ratio dabitur, vnicum Archiepiscopum Coloniensem penitus inhonoratum, prætereundi.

85. Accedebat altera æquè vrgens causa. neq; enim latere poterat Imperatorem Carolum, pluriū Pontificum & Imperatorum, in illa coronaria controversia pro Archiepiscopo Coloniensi Iudicium, vti supra visum, à quibus sanè suum sejungere nec poterat, nec debebat; firmum ergo exploratumq; manet, intentionem Advocati Moguntini pro suo suo Domino, nulla lege, aut superioris authoritate niti, neque hoc ab illo vnquam probatum. sed neque consuetudo post auream Bullam allegari potest, cum in confesso sit, omnes actus coronationis post auream Bullam vsque ad Maximilianum secundum per annos propè ducentos à solo Coloniensi Archiepiscopo peractos esse. Idem planè affirmare licet de annis trecentis ab Henrico tertiò, vsque ad Carolum quartum & auream Bullam; nam neque toto illo tempore legitur Archiepiscopus Moguntinus Imperatorem quempiam extra schisma in reliquo Imperio Germanico coronasse. Aquisgrani quidem Fridericum secundum & Ludouicum Bavarum consecravit, illum vacante sede, ex delegatione Pontificis, hunc in schismate: at hi duo casus nos non tangunt: placeat hic amico Lectori reflectere aliquantulum se supra intentionem actionemque Advocati Moguntini; is contendit contra auream Bullam id evincere, ex consuetudine, & antiquorum temporum vsu, coronandi jus competere Archiepiscopo Coloniensi intra suam Diœcesim, Moguntino autem ex iisdem titulis deberi illud in

reliquo toto Imperio; & Coloniensis quidem Iuris, plurima habemus experimenta: Cum autem ad Moguntinum devenitur, per integros quingentos annos ab Henrico nempè tertio & 4. vsque ad Maximilianum secundum, nullum planè reperire est Imperatorem legitimum, à Moguntino in reliquo toto Imperio coronatum. nam Rudolphus Suevus & Hermannus in schismate à paucis electi, Imperatores à Germanis non agnoscuntur. Et qualis tandem illa consuetudo, cuius tot sæculis vsus, actusque nullus vspiam fuit? Nunquid advertere debuit Advocatus, rectius à Nobis contra Moguntinum allegari posse consuetudinem negativam; nam postquam ab Henrico tertio, circa annũ 1054. Lupoldo Archiepiscopo Moguntino, coronationem Henrici quarti affectanti contradictum est, idque munus Hermanno Coloniensi ab eodem Imperatore, vt suprà visum, vindicatum, per integra quinque sequentia sæcula, nullum actum coronationis notorium, quietum, & consuetudinis inductivum in suo quem sibi adscribunt districtu, Moguntinenses Archiepiscopi exercuerunt, vsque ad Maximilianum secundum. Et cui tandem hisce quingentis annis favet consuetudo coronandi Reges? sanè Colonienses Archiepiscopi toto illo quingentorum annorum spatio, omnes omninò Imperatores intra suam Diœcesim coronarunt, excepto friderico secundo, qui sede Coloniensi vacante à Moguntino sedis Apostolicæ Legato coronam accepit. Extra Diœcesim au-
tem

tem Norinbergę in solenni Conventu Elisabetham Imperatricem Alberti Coniugem, wichboldus Coloniensis diademate cinxit, præsente Moguntino, nec contradicente, atque ita, intra ipsam Diœcesim Moguntinam, suam coronandi prærogativam tot coram tantisque testibus exercuit, postea in aur. Bulla confirmatam: neq; vt frequentius id, in reliquo Imperio á Coloniensibus fieret, quippiam obstitit, quam religio loci Vrbis Aquisgranensis, & occasio facti; sed nec dici potest actum illum videri singularem ex speciali causa indultum Coloniensi: nihil enim tale vspiam reperitur; Incessit wichboldus viá regia, vsus jure suo, á Carolo Magno Ecclesiæ Coloniensi collato, ab Henrico tertio vindicato, Friderico primo agnito & probato, idq; ante A. Bullá; Cum ex adverso, Advocatus Moguntinus, nullum legitimum Imperatorem, producere posit, qui tot sæculorum lapsu intra ipsum suum districtum á suis Principibus Antecessoribus diadema acceperit. Nam Coronatio Kunegundis Imperatricis, ante ea tempora peracta fuit. Etsi de Imperatricibus quæstio sit, duas ferè reperiri dicunt á Moguntino coronatas; Kunigundem & Agnetem, Henrici 2 & 4. Coniugem; duas item á Coloniensi, Giselam Conradi, & Elisabetham Alberti. Et vbi tandem, tantopere hactenus jactata consuetudo? sed & illud observandú quare Archiepiscopus Moguntinus Coronationi Elisabethæ, quæ Norimbergæ in ipsius districtu, ipso præsente facta est, non intervenit, quare jus suum & consue-

 tudinem,

tudinem, si quæ fuit, non adduxit, quemadmodum Colonienses postmodum in Maximiliano secundo, & aliis Ratisbonæ coronatis fecerunt.

87. Atque hæc est Mens omnium politicorum & Iurisconsultorum, qui in aur. Bullã scripserunt, nempè licet ab Ottone primo ad Henricum tertium per annos ferè nonaginta de coronandis Imperatoribus subinde inter Moguntinum & Coloniensem disceptatum fuerit, attamen à tempore eiusdem Henrici tertii jus coronandi Reges Romanorum, inviolabiliter & incommutabiliter penes Archiepiscopos Colonienses permansisse, in aurea Bulla ipsis denuò collatum confirmatumque. *Martinus Rumelinus in aurea Bulla p.3. dissert.6. Gerlac. Buxtorff. ad c.4. A.B. Thes.* 46. vbi plurimos citat, & ipsum Cisnerum ab Advocato allegatum, dicentem, coronationis officium Coloniensibus ab eo tempore incommutabiliter competiisse; & quomodo mansit, incommutabiliter, si cum Moguntino, ratione loci, commutari debuit? clarissimè loquitur, *Ioann. Limn. lib.3. c.6.* de jure publico, vbi ex aliis historicis probat. Ius coronandi Reges à Carolo Magno, primam sedem regalem Aquisgrani ponente, Coloniensibus Archiepiscopis donatum fuisse, atque adeò iustissimo titulo ante auream Bullam illis acquisitum, idque vi institutionis Carolinæ, cuius meminerunt etiam extra dioecesim; licet Moguntini Archiepiscopi quosdam actus olim exercuerint, vt ait *Buxtorff*. Idem clarè & amplè asserit Matenesi in coronatione Ferdinan-

ani dinan-

dinandi secundi, & ecce; quid vlterius à Nobis requiri potest?

88. Observet nunc Lector 1. *p*. 50. Quare Herwartus eo tempore in sententiam ibi positam descenderit, nota causa est, cui *Bzovium* & plures alios opponimus. Quamvis Herwartus hoc quidem tempore, ius coronandi, Archiepiscopo Coloniensi, non Moguntino tribuat.

2. *Pag*. 51. Vellet Advocatus Henricum Landgravium à Petro Moguntino coronatum videri; id verò *Naucl. generatione* 42. *Chronic. Mag. Belgij* aliique omnes negant, asserentes eum intra annum ante benedictionem fatis concessisse.

3. *Pag*. 52. §. 42. asserit lege Caroli 4. in A. B. latâ cautum, vt Archiepiscopi Colonienses Aquisgrani coronent Reges Romanorum; At verò id commentum est. Nam *c*. 28. *A. B.* §. 5. vbi Aquisgranum ex antiqua observatione pro theatro coronationis assignatur, nulla omninò mentio fit Electoris Coloniensis, quod tamen ratio requirebat, si quidem Imperator ius Coloniensium Archiepisc. ad illũ locum astrictum voluisset. Nunc autem cum verba legis, nullam restrictionem habere cognoscantur, prærogativa coronandi Coloniensibus collata, non alio loco astringitur, quam vbi potestas Legislatoris finitur; ideòque malignè legem coarctat Advocatus, parum memor, verba legis debere esse, & manere manifesta, neq; aliquid per obscuritatem n captionem cõtinere aut explicare. *Isid. l.* 1. *Ethym.*

4. *Pag*. 56. affingit scriptori Coloniensi, quasi

ius

jus & certamen de præcedentia inter Principes vocaverit minutias, id verò, quam vanũ sit, supra visũ.

89. Quarta & vltima Thesis, quam *p*. 4. sui scripti ponit nobis Advocatus, sic habet,

Demum Functiones à Moguntinis Electoribus in coronatione postremorum Imperatorum exercitas, veteri Electorum Coloniensium juri minimè obesse. Id omninò asserunt Colonienses. Etsi quidem, ea quæ hoc toto scripto allata sunt, in jure & facto subsistant, probatione nulla hæc thesis indiget, prout priori scripto Coloniensi satis confirmatum est. Vbi coronationes Miximiliani secundi anno 1562. Rudolphi anno 1576. Matthiæ anno 1612. Ferdinandi secundi anno 1619. & Sacræ Cæsariæ Maiestatis Vestræ à Moguntinis Archiepiscopis factas agnoscit, verum jure vicario & Moguntinis minimè proprio.

Coronationes à Maximiliano secundo.

Quatuor ferè fuerunt Electores & Archiepiscopi Colonienses à tempore Maximiliani secundi vsque ad Serenißimum Electorem Modernum, Fridericus à weda, Salentinus Isenburgicus, Ernestus, & Ferdinandus Bavarus, omnes toto illo tempore, infulis & sacerdotio destituti, ac proinde ad solemnes consecrationes Imperatorum inhabiles, impedimento ex sacris Canonibus injecto; quod quia legitimum fuit, actus quidem coronationis alteri potuit, debuitque deferri; jus illis nequaquam tolli potuit. Nulla enim tam Rhadamantæa & captiosa lex, quæ canonicum justumq; impedimentum, probro & damno esse velit.

Addi-

Additur deinde in eodem scripto, Archiepisc. Colonienses, oborto simili impedimento, semper juri suo opportunè potestando cavisse, cautelasque ab Imperatoribus & Collegio Electorali acceptatas, protocollis insertas esse.

90. Duo his respondet Advocatus Moguntinus. 1. Protestationes illas sola fide actorum Coloniensium niti; at numquid hoc satis est, donec contrarium probetur? quid si protestationes eiusmodi ab Imperatoribus receptæ, subscriptæque sint, fidemne facient? Ita planè apparet, in ea, quam anno 1637. Ferdinandus Archiepiscopus, Ferdinando secundo Imperatori obtulit, ab eodem Imperatore acceptatam & subscriptam, neq; dubium, in Cæsareis actis idem quod in ostris est, reperiri. Alterum quod replicat, easdem potestationes juri Moguntinensium nihil obesse, dum extra Diœcesim Coloniensem Coronationis munere funguntur: Eo enim spectare ne Moguntinorum actus Francofurti & alibi celebrati, obsint Coloniensibus, aliquando Aquisgrani iterum coronaturis. Ita Advocatus, more suo infeliciter & lubricè; inspiciat quæ gesta sunt anno 1619. vbi in decreto coronationis Ferdinandi secundi gloriosæ memoriæ parentis Sac. Cæsar: Maiest. Vestræ, omniũ Electorum assensu, concepto, d', Ecclesiastici Electores debebunt convenire de consecrationis munere, cum Archiepiscopus Coloniensis qualificatus non sit, quis locum & vices eius suppleat. Ea coronatio peragenda erat Francofurti, non Aquis-

grani, & quis non videt judicio Electorum, id muneris eo loco ad Coloniensem pertinuisse? sin enim aliter, minime necessaria erat solicitudo, quis vices eius ibidem suppleret. quodsi Archiepiscopus Moguntinus eius temporis, jus coronandi in ea Vrbe sibi vllatenus arrogasset, ipsius sanè erat illud prodere, & huic cautelæ interloqui.

91. Neq; res ea nova, nam iam anno 1130. quando Cardinalis Theododoinus Conradum tertium coronavit, *Otto Frising.* & alii causam eandem adferunt, quod Archiepiscopus Coloniensis infulis careret. Eandem adducunt *Buxtorff. Limn. lib. 2. c. 4. Arthus: Gold.* & alii. in coronatione Maximiliani secundi, & Rudolphi per Danielem Moguntinum peracta, nempè quod Colonienses Sacerdotio instructi non essent. & *Buxtorff.* quidē publica proposita *Thesi* 48. id jus Moguntino propugnat, vt impedito Coloniensi, ipsius sit coronare. quod autem inspergit Advocatus indecorū videri, si Coloniensis obtento jure coronandi, Moguntinum in proprio districtu præcedat, id gratis fit, neq; enim nobis hic de præcedentia quæstio est, habet illa suū locum. sub finem per aliquot paginas, Advocatus recapitulat priores nænias, suamque sæpè sæpius auditam cantilenam, de coronaria cessione à Lupoldo Moguntino, tempore Henrici tertii, & rogatu eiusdem, si diis placet, facta. Celebrem item illam quingentorum annorum consuetodinem, secundum quam Archiepiscopi Moguntini, Imperatores extra Diœcesim Coloniensem coronaverint,

erint, quamque Carolus quartus in aurea Bulla espexerit; sed cuius consuetudinis, nullus omniò per quinque sæcula actus inveniri potuit. Item ententiam Ludouici Bavari pro Moguntino latã, empè vt prætensum suum contra Trevirensem chiepiscopũ jus tabulis adductis probaret, quod aciendum etiam nunc restat; pluraque eiusmodi pida quidem & opportuna, sed parum solida fæundi ingenii commenta.

Quod si recapitulationibus Lectorem detinere cet, repetemus & nos Illustres, sanè Archidiœcess Coloniensis toto scripto inspersos titulos; Caoli Magni institutionem, præsente Leone tertiò ontifice factam, Innocentii tertii clarissima & epiùs repetita oracula, iisq; Vrb. 4. & Clementis, onforme judicium; constitutionem Leonis noi, Eugenii tertii, Alexandri item tertii & aliorum ontificum. Friderici primi Imperatoris Imperiale responsum; Henrici quarti pro Coloniensi Ecclesia vindicationem, Iuris Canonici, & Historiorum, ac Iurisperitorum plurimorum adminicuntia causæ nostræ suffragia, tandem Aur. Bullam Caroli quarti, in qua legem habemus, secundum uam judicari nos oportet.

APPENDIX AD VINDICIAS.



LEmniscum appendimus Coronæ nostræ, erit ornamentum, & simul ligamentum. Causam dant Nobis Moguntini Advocati, qui non cessant repetitis scriptis actionem suam colorare, plus æquo historicis tribuentes, ex affectu, studioque partium ponderatis; id cuiusmodi sit, vna, alteraque quæstiunculâ dispiciendum erit.

QVÆSTIO I.

Quantum in Controversia coronaria tribuendum sit historicis.

HIstorici testes sunt temporum, nuncii vetustatis, imò veritatis, si tamen tesseram veritatis secum adferant, id est, consensum in eo, de quo Nobis testantur; nam qui in diversa abeunt, quomodo fidem à Nobis exigent, quam ipsi repugnantia scribendo, sibi invicem non præstant: accedit, quod pauci admodum res oculis à se vsurpatas, nec multo plures, auribus vicinioribus perceptas, posteris tradunt, quando vetustas temporum, quæ olim gesta sunt, longius à sensibus viventium removit. Hinc plerique ex libris chartisque lectis, libros legendos consarcinant; neque omnibus datur sincera rerum monumenta, tabulasque au-

thenticas inſpicere:ſed,nec deſunt ſtudia partium, quibus quanto magis animi ſcribentium imbuti ſunt, tanto corruptiorem veri guſtum habere ſolent. *S*ane in controverſia coronaria,adeò magna eſt hiſtoricorum diſcrepantia, vt vix vllibi pedem firmum figere liceat. Colonienſium quidem ſcriptorum conditio tantò melior videri poteſt, quod cauſam Principis ſui,Pontificum, Imperatorumque diplomatis munitam habentes, de hiſtoricorum ſuppetiis, veluti incertò lubricoque præſidio,minus illis liceat eſſe ſolicitis. Moguntini ex adverſo, à maiotibus auxiliis nudi, fidem hiſtoricorum,nec ſatis expenſam, nec ſi rectè expendatur,ſatis ſibi ſecuram, magno tamen molimine nobis opponunt. Videntur autem tres potiſsimũ, veluti characteres temporum obſervare, quibus totidem diverſorum Regum coronationes ad fulciendam prætenſionem ſuam adducunt.

Et prima quidem nota temporis ponitur in coronatione Pipini, à S.Bonifacio, vti volunt facta. hæc enim ſicut fuit tempore antiquiſsima, ita primatum in jure coronandi, Moguntinis Archiepiſcopis contuliſſe ab eorundem ſcriptoribus perhibetur. Nos rem in vindiciis non diſsimulatam, hic propius inſpiciamus. *Nicol.Serarius lib.3.not.*38. ſex numerat hiſtoricos, pro coronatione Pipini à S.Bonifacio facta, nempè Annales Franc: Aimoinum: Marianum Scotum, Regin. Sigebert. Lamb. Schaffnab. Quatuor verò pro negativa ſententia, qui Pipinum à Stephano Pontifice coronatum

volunt. Anastas. Biblioth. Paul Diacon. Egiswald. & ipsum Ludouicum pium Pipini nepotem: his si addatur *Theganus auctor*, Moguntinis sæpè laudatus, & *Theophanes* à Baronio citatus, erit par megantium & affirmantium, sicut numerus, ita & fides; nisi quod auctoritas Luduici pii Imperatoris, de gloria avi sui à Stephano coronati testantis, omnibus prȩeminere debeat. Cum autẽ scripturæ sibi contrariæ, in judicio productæ fidem non faciant c.13. de fide instrumẽtorum, profectò nec historici sibi contrarii quippiã probare censebuntur. Nunc si quidem Advocati Moguntini Carolum quartum Imperatorem, eo loco, quo de prærogativa coronandi agit, volunt ad morem priorum temporum, fidemque historicorum respexisse, dicant ipsi Nobis, ad vtram , Negantemne an affirmantem sententiã se reflexerit; quidquid dixerint, tam facilè erit nobis, primum eorum fundamentum evertere, quàm pronum fuit illis ponere; cum historici numero sint pares, negantes auctoritate maiores. Omitto Coronationem Ludoici Pii ab Hildebol-do Aquisgrani factam, pro qua nos decem in Vindiciis testes adduximus, ipsi, qui id disertè negent, ne vnicum.

Altera ergo nota temporis, est in celebri coronatione Ottonis primi; is enim ritum coronandi, per centum ferè annos post Lotharium, ex diviso, discerptoque Imperio, aliquantulum turbatum, loco, ordinique suo restituit; quatuor ferè sunt antiquiores scriptores, qui ea de re testari possunt: *VVittikindus, & Dithmarus, Ottonis Imp. Synchroni, Ot-*

to Blasius, seu de S. Blasio, & Gobelinus Persona. witikindus asserit, certamē fuisse inter Coloniensem & Trevirensem de Coronatione, quodque ambo honorem illum tandem cesserint, Almitati, id est, dignitati, & virtuti Hildeberti Moguntini, non iuri Diœcesis, cuius ibi nulla est mentio. 2. quod Moguntinus prævias & subsecutas cæremonias peregerit. 3. quando ad ipsum actum coronationis perventum est, claris verbis asserit idem witikindus Ottonem ab vtroque Moguntino & Coloniensi diademate regali cinctum, & oleo sacro perfusum esse. vbi vides, wigfridum Coloniensem, sic voluisse honoratum, & admissum Hildebertum Moguntinum in hoc actu, vt neutiquam pateretur se exclusum. addit Dithmarus Coævus Ottonem coronatum à Moguntino, cum licentia Coloniensis, explicat hoc *Gobel. Persona.* illam licentiā seu potestatem, pro ea sola vice concessam; quartus Otto Blasius adiungit Coloniensem & Trevirensem præ ipso Moguntino videri in illa Coronatione privilegiatos fuisse. Ita antiquissimi & probatissimi hactenus omnium Iudicio scriptores, rem illam gestam posteris tradiderunt. Ex qua narratione quid tandem exsculpent pro se Moguntini, cum cuncta aliena ab eorum commentis esse, omnibus manifestum fiat aut, quo tandem existimant Carolum quartum in A. B. respexisse; dum dignitatem coronandi Coloniensi Archiepiscopo, præ Moguntino competere pronunciavit.

Tertia nota temporis est, in coronatione Henrici quarti circa annum 1054. de qua scribit sequentia

Coloniensi quietè & incommutabiliter permansisse; verum de altero membro summum silentium. Nemo enim omnium asserit, Archiepisc. Moguntino vi transactionis aliquando factæ, jus coronandi, Imperii quacumq; parte, vnquam decretum fuisse. *Lamb. Aschaffna.* fuit subditus & cliens Archiepiscopi Lupoldi, quid mirum si de primatu eius quippiam favore historico inspergat, cuius nullus alius ex antiquis, neque *Herm: contract.* neque *Marian. Scot.* neq; *Sigebertus* eorundem temporum, & coronationis scriptores meminerunt, qui actum illum totum Archiepiscopo Coloniensi, sine vlla mentione Moguntini attribuunt. de primatu porrò vide vindicias. sed & ipse Lamb. mox se corrigit, dum asserit, jus coronandi ab Imperatore Henrico 3. posthabita quacumque prætensione primatus Moguntini, Hermanno Coloniensi vindicatum esse; vbi nota tres quatuorve insignes titulos Iuris Coloniensis. primus est, auctoritas Imperatoris, id jus Coloniensi vindicantis & adjudicantis. 2. est privilegium cuius Historicus & Imperator meminit, quodque à Leone 3. primitus collatum, deindè à Leone nono ante biennium eius temporis roboratum & confirmatum fuit, quæ bulla etiam nunc in manibus versatur. tertius titulus claritas generis. 4. occasio diœcesis, quæ duæ posteriores causæ, erant potius partiales impulsivæ & populares, quã adæquatæ, motivæ & finales, vti in claritate generis patet. porrò de Diœcesi prudenter Imperator meminit, quia illa sola, isto loco & tempore poterat sufficere, res enim Aquisgrani gerebatur, alio loco, aliam daturus fuisset. Dicant nobis iterum Advocati Moguntini, quo tandem Carolus 4. in lege Aur. Bullæ. respexisse putetur, an ad *Lamb.* historicum Mogunt. Archiepiscopo blandientem, an ad Henricum 3. Imperatorem Archiepiscopo Coloniensi privilegium suum vindicantem.

QVÆSTIO II.

Qua fide nitatur privilegium locale Vrbis Aquisgranensis, de Regibus Romanorum ibidem coronandis.

EOrum, quæ antiquitus gesta sunt, notitia, triplici ferè via ad posteros perfertur; historia, instrumentis, & documentis publicis, traditione deniq; & populi sensu, ipsoque tacito temporum vsu: quam traditionem solam sufficientem esse, ad probandum antiquum privilegium docet cum *Suarez lib. 7. de legibus c.* 8. plerique Theologi & Iurisconsulti. Cum autem Moguntini scriptores novis, repetitisq; scriptis, regalē coronationis sedem, in Vrbe Aquensi à Carolo Magno positam oppugnare, evertereque non erubescant, visum est, eam quæstionem hic exactius discutere: pro hac ergo regali sede, splendidissimo totius nationis Germanicæ, & potissimum Archidiœcesis Coloniēsis ornamento, possunt in rem præsentem adduci, antiquissimi & celeberrimi scriptores. Imprimis *VVitikindus initio lib. 2.* accuratè & curiosè describit, qua solemnitate, primò quidem Principes, Ottonem Magnum ad regalē illam sedem & solium in Ecclesia Aquisgranensi positum deduxerint, moreq; suo Regem fecerint. deinde quomodo idem Otto, à Moguntino & Coloniensi oleo sacro perfusus, & diademate cinctus, ad idem solium inter duas marmoreas columnas in Basilica Aquensi constructum per cochleas ductus sit, vnde ipse Imperator populum spectare, ab eoq; spectari potuerit. Idem confirmat wippo in coronatione Conradi, fuisse nempè Aquisgrani Regalem thronū, à Carolo olim ibidem collocatū; ad quem Conradus licet iam coronatus, proclamandus tamen & publicandus accesserit. Idem asserunt illo antiquiores Alcuinus, Nithardus nepos Caroli, &

plu-

plures recentiores; *Sigonius lib.7.* Aventinus, Onuphrius, Munsterus &c. diciturq; illa sedes, etiam nunc hodie eo loco monstrari. accedunt insuper testes, quibus contradicere, insanum sit, & impium, ipsi principes Electores, quorum est coronationis celebritatem peragere, qui scribentes ad Innocentium tertium dicunt, Ottonem quartum á se Electum & Aquisgrani in sede à Carolo Magno isti dignitati deputata collocatum esse. ita apud *Reinal.* Continuatorem *Baron.* in Otton. 4. Abunde ergo fides historicorum nobis hic patrocinatur. Neque à solio regali duntaxat privilegiũ locale Vrbis Aquisgranensis illustratur, sed & ab ipso diademate Magni Caroli olim in eadem Vrbe asservari consueto ad coronationes peragendas. Ita testatur oculatus testis, qui descripsit pompam coronati Maximiliani I. habeturq; inter scriptores germanicarũ rerũ, apud me tomo quinto, vbi bis asserit, Imperatorẽ coronatũ esse corona D. Caroli Magni Aquisgrani asservata. Idem asserit alter testis oculatus in coronatione Caroli V. Hieron. Balbus Episcopus Gurcensis *lib.* quem scripsit de coronatione; nempè certissimum se testem esse Carolum V. ea corona insignitum, qua Carolus Magnus primùm vsus est. quid tandem omnia illa regalia insignia, & veluti Sacræ D. Caroli exuviæ Aquisgrani relictæ, nisi illam esse præ omnibus aliis, Vrbem coronariam nobis denunciant? inventus est tamen non nemo ex scriptoribus, qui mera fingendi lubidine scribere ausus est, Ottonem Magnum Aquisgrani coronandum suam eò coronam propriam attulisse; eam nempè, quæ non sub incude, sed in vertiginoso cerebro istius scriptoris fabricata sit. sanè neq; Otto Magnus eousq; , neq; parens eius Henricus auceps vnquam corona vsus legitur.

 Quod

Quod si ab historicis, ad Regum & Imperatorum diplomata transire lubet, quibus nihil vnquam ad fidem faciendam sanctius habitum fuit, offerunt Aquisgranenses, inprimis Caroli Magni originale privilegiariũ diploma olim Friderico 1. ann. 1166. sexto Idus Ianu. Aquisgrani exhibitum, ab ipso, postquam omnia, vti loquitur, diligenter examinata sunt, agnitum & coram pluribus testibus, ipsoque Archicancellario Moguntino probatum, sigilli sui Imperialis charactere, bullisque aureis munitum, ac novo diplomati ad fidem posteris stabiliendam insertum. Idem fecit Fridericus 2. an. 1246. Idem reliqui ferè Imperatores cum tanto tot sæculorum & populorum applausu. Nos ergo in possessione fidei tot sæculis imperturbata consistimus, Moguntinos in rem præsentem vocamus, adferant, opponantq; literas literis, documenta documentis, vel vnicum, quo illius privilegii fides ab an. 1166. vsq; ad an. 1653. in dubiũ fuerit vocata. Nam quod nescio quis ab heri & nudius tertius vix notus sannio, repetito quidẽ scripto in cunctos Imperii ordines contumeliosus omnem hanc Imperatorum & Principum auctoritatem sanctamq; tot sæculorum fidem fabulas falsissimas appellat, Friderico 1. obtrusas, eũ non nostro, sed alio calami genere fiscaliq; virga castigandum remittimus, cum nihil fortius quam suam insolentiã & ignorantiam probet. Enimverò, inquiunt Moguntini scriptores, cum plures historicorũ totius illius celeberrimi actus in quo & Basilica Aquensis à Leone 3. consecrata, & privilegium Aquensibus collatum dicitur, ne meminerunt quidẽ: Quid de privilegio ex historicis dici possit, satis superq; paulò ante ex witik. & aliis patuit. de consecratione Ecclesiæ si libri taceant, lapides loquentur. nã in Saxis ipsis versus sequentes insculpti adhuc hodie leguntur.

Ecce Leo Papa, cuius benedictio sancta
Templum sacravit, quod Carolus ædificavit.

Lubeat autem scriptoribus Moguntinis inspicere regulas dialecticorum apud *Petrum Fonsecam. lib. 7. c. 35.* quomodo argumentum ab auctoritate negativa validum ducatur. vbi dicit, nihil concludi tali modo, Aristoteles non dixit hoc esse, ergo hoc non est: verum ita inferendum, Aristoteles dixit, hoc non esse, ergo non est; quia sicut nonentis nullæ sunt qualitates, ita non, & nihil testantis, nullæ sunt probationes. Nunquid ideò Constant. Magnus, non est baptizatus à Sylvestro Romano Pontifice, aut Imperium Romanum non est translatum à Græcis ad Francos, quod multi Historici hoc non dicant?

Secũdum etiam telum, quo nos Moguntini petunt, æque plumbeum est. Carolus, inquiunt, magnus regnum & Imperium suum divisit in tria regna, totidemq; filios, quorum nepotes vix coronati leguntur Aquisgrani: Ergo Carolus privilegium coronandi non concesit illi Vrbi. Quasi verò nos Carolum Prophetam faceremus, qui diphtherá Jovis, & Consilium Deorum inspexerit, inde vicissitudines temporum, casusque posterorum suorum docendus. Nunquid eodem modo arguam, vix vllus ex Nepotibus Caroli, Imperii Romani titulum exercuit in natione Germanica, sed potiùs in Italia, ergo Imperium non fuit translatum ad Germanos. Eodem modò, Clodovæus primus, regnum suum divisit in quatuor regna & totidem filios, ergo non instituit Remis in regnò Parisiensi coronationis ritum: sed nec Carolus, dum vixit, sui moris negligens fuit; Nunquid enim filium suum, Ludouicum, jam bis in Gallia coronatum inde

ſub finem vitæ evocavit Aquiſgranum, ibidemque ab Hildeboldo vnctum & conſecratum, corona à ſeipſo impoſita Imperatorem promulgari voluit: quod ſi poſtea inter nepotes Caroli, Imperio turbato, belliſque mutuis divulſo, ritus coronandi intermiſſus aliquantulum fuit; Idem ab Ottone Magno, vt primum licuit, loco ordinique priſtino reſtitutus eſt. Quid enim Ottonem reliquoſque Principes commovit, vt ex Saxonia tot Vrbibus neglectis, ipſaq; Moguntia, Aquiſgranum acceſſerint, quos etiam Moguntinus ſubſecutus eſt, niſi privilegii ſæpedicti memoria & religio.

Ex eadem pharetra, futile & ſomnio ſimillimum illud eſt, ideò Ottonem reliquoſque Imperatores futuros, acceſſiſſe Aquiſgranum, quod Carolus ibidem ſepultus eſſet. Nugæ ſunt, non ſepulchrum Caroli, ſed coronam quærebat Otto. Audiant, quid alterum Carolum magnum, id eſt, Quintum, ad idem iter, neglecto ſuo Principumque periculo permoverit. Teſtatur enim Herman: Maurus in ea conſultatione quæ tum habita fuit, præſens, vti in vindiciis Caroli V. reſponſum fuiſſe, conſtanter ſe decreviſſe antiqui moris reſpectum habere, nec alibi niſi in antiqua Carolorum ſede, regni diadema aſſumere. ſed nec Aquenſis Civitas ſepulchrum Caroli, verum ſuum vetuſtum privilegium ibidem allegavit. Quin imò ipſe Archiepiſcopus Colonienſis Fridericus ab eodem Carolo ea occaſione peti curavit, vt ſui & eximiæ prærogativæ ſuæ, de non immutando, aut innovando, in coronatione futura haberetur ratio, Additque Maurus ſe Aquiſgrani cum aliis Principum Conſiliariis interfuiſſe, quando antiqua monimenta in eam rem adducta ſunt. Et ecce quid tandem ad hæc irrefragabilia teſtimonia Moguntinorum quorundam ſcriptorũ

offu-

offuciæ & affaniæ! contra quas & quorumcumque cavillos stat ære perennius, Aquisgranensium privilegium, splendidissimum totius nationis Germanicæ, in eaque firmati Regalis solii æternum documentum.

Firmato itaque regali in Basilica Aquensi à Carolo exstructa solio, localique privilegio, ad quem tandem inter omnes Archiepiscopos Germaniæ, eiusdem privilegii vsus pertinere censebitur, nisi ad illum, cuius Ecclesiam illam esse voluit Carolus, idque non jure Diœcesano, sed eiusdem institutione, prout in vindiciis observatum. Neque sane opus erat, hoc in privilegio locali exprimi, vti ibidē visum, atque ex aliorum regnorum vsu patet: nam postquam & omine cælesti, & Clodovæi primi voluntate Remorum in regno Parisiensi Vrbs constituta est sedes regalis coronationis, apud *Hincmarum* & alios, nemo vnquam à S. Remigio exegit, aliisque consecutis Episcopis, vt jus suum coronandi, aliquo novo privilegio probarent, licet coronationes subinde, incidente aliqua causa, in aliis Vrbibus fieri contingeret, vti avorum memoria in Henrico 4. id quodque in Vrbe Toletana, eiusdemque Episcopis observatum quoque fuit. nam si jus Diœcesanum hic immiscere velimus, Carolus non Aquisgrani, sed vel Ingelheimii, vel Caroloburgi, regalem coronationis sedem locare debebat; & quotiescunque deinceps Imperatores electi sunt, vel ex Saxonica, vel Bavarica, vel Austriaca familia suas singulos Diœceses sequi oportuisset, quod hactenus nemo somniavit. Prærogativa igitur coronandi & eiusmodi summa regalia non ex jure Diœcesano, sed Sacrosanctis Pontificū Cæsarumque oraculis petenda sunt, prout hæc, de qua agimus Hildeboldo, primum collata apud subsequentes

Archi-

Archiepiſcopos inviolabiliter permanſit. Iſque fuit indubitatus ſenſus ſequentium Pontificum & Imperatorum, inter alios, Leonis Noni an. 1052. quando dignitatem coronandi, non novam contulerunt, ſed veluti antiquitus debitam Archiepiſcopis Colonienſibus vindicarunt & confirmarunt. Idemque clariſsimè expreſsit Innocentius tertius dicens ſolummodo ad Archiepiſcopum Colonienſem, de jure & ex officio pertinere jus coronandi, idq; ex antiqua illius Eccleſiæ dignitate, non ex Diœceſi nata, ſed à Carolo Magno, & Leone tertio collata. vnde & illud haud obſcurè elucet, quare Colonienſes Archiepiſcopi, non admodum laboraverint, ritum coronandi in aliis extra Diœceſim Vrbibus peragere; volebant nempè, & debebant, vtrique privilegio locali, & perſonali conſulere; eratque citra controverſiam honoratius, in vtroq; domeſticam gloriam conſervare, quam altero neglecto, diviſum dignitatis ſplēdorem in alienum ſolum transferre, quod tamen vrgente cauſa, pro conditione rerum & temporum fieri poſſe & debere, hucuſque arbitramur ſatis demonſtratum eſſe.

FINIS.

ERRATA — ſic corrige.

Pag. 11. qam—quam. *p. 16. Romano*—Romam *p. 19. id vnum te rogo.*—vt advertas Lector. *p. Eadem. dicit*—dici. *dicit*—dici. *p. 25. quipen.*—quidem. *p. 26. Princeps*—Principes. *p. 28. mutato*—dele alterum. *p. 29. vndeam*—vndenam. *p. 29 Innocenti terti*-- innocentii tertii. *p 32 fima*-- firma *cettum*--certum. *p 33. allegat.* -- allegat; . *p 34. e jus ſuum*- jus ſuum. *Eadem. facta ceſsipnes* - factæ ceſſionis *p. 40. geſiſſet*-- geſſiſſet. *p. 57. Niceneriani*- Niceneriam. *p 38. Bentum* Bertum. *p. 61. deci* - decimo *p. 68 ſupplex*-ſupellex. *p. 78. cnovocationem*-- convocationem. *p. 83 contendis* contendit. *p. 89 poteſtationes*- proteſtationes. *Eadem. oſtris*--noſtris. *p. 92. diſcipiendū*--diſpiciendum.